



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>




This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.









EXCERPTA

EX

CAII PLINII SECUNDI  
HISTORIA NATURALI.

IN USUM SCHOLARUM.

---

NOTAS ADJECIT  
GULIELMUS TURNER,  
IN NOVA INSTITUTIONE NOVOCASTRENSI PRÆLECTOR.

---

“NON SUMUS PROPECTO GRATI ERGA EOS, QUI LUCEM NOBIS APERUERE — ;  
MIRAQUE INGENII PESTE, SANGUINEM ET CÆDES, CONDERE ANNALIBUS JUVAT, UT  
SCELERA HOMINUM NOScantur MUNDI IPSIUS IGNARIS.”—*Plin. ii. vi. 9, p. 96.*

---

LONDINI:  
IMPENSIS BALDWIN ET CRADOCK.

MDCCCXXIX.

296 e 83



---

NEWCASTLE UPON TYNE • PRINTED BY T. AND J. HODGSON. •

## PREFACE.

---

IN the year 1776, the late Dr. Aikin offered to the Public an elegant little volume, entitled *Selecta quædam ex Cæii Plinii Secundi Historiâ Naturali*; to which was prefixed, by his venerable Father, the Rev. John Aikin, D. D., of Warrington, an Introductory Essay, written in the purest Latin style, explaining the intention and objects of the selection. That it did not succeed in obtaining admission into our principal Schools may be attributed to the circumstances, first, that Natural History was not, at that time, so generally attended to as it has since been; secondly, that the passages selected were arranged by the estimable Editor without any reference to the places which they occupy in the original work; and thirdly, that no Notes were added to explain difficult passages, to correct the erroneous statements of the Author (who, it must be confessed, is often rather a book-naturalist than an original observer), and to bring up the youthful reader to the present state of natural knowledge, by reference to the best modern writers on the several subjects.



The same objections are applicable to another publication for Schools, otherwise of great merit, entitled, *Principia Historiæ Naturalis, Geographiæ, Rei Rusticæ, &c.* adopted from Germany by the Valpys.

The objects of the present selection are,

First, To supply an agreeable and profitable addition to the books calculated for the higher forms in our Public Schools, and also for some of the classes in our Universities and Academical Institutions; and, at the same time, to put into the hands of Naturalists in general a portable book of reference to the most important passages in Pliny; for which purpose, all the Extracts are printed in the exact order of the great work, according to the accurate Edition of Brotier; and a continual reference is made (in Roman numerals) to the division of the work into sections adopted by Hardouin and Brotier, and also (in Arabic numerals) to the arrangement followed by the older Editors. So that a reader of other works, meeting in any of them with references to Pliny, will be able to find the passage, according to either one division or the other.

Secondly, To furnish, in an Appendix, a set of Notes, in English (for the Editor knows, from experience, that pupils, even pretty well advanced, are apt to neglect Latin annotations), containing explanations, or attempts to explain, difficult passages; references to such modern authors as have treated more fully and accurately the several subjects (it being a particular object, in this department, to point out such books as come more immediately in the way of young readers,

without excluding reference to works of a higher class); and also, such original miscellaneous observations as may have occurred to the Editor or any of his friends—among whom his acknowledgments are chiefly, almost exclusively, due to George Taylor, Esq., of Witton-le-Wear, whose practical as well as theoretical knowledge as an agriculturist, and extensive reading on almost every subject connected with literature and science, eminently qualify him for throwing light on many of the topics comprised in this multifarious work.

In drawing up the Notes contained in the Appendix, the Editor has made free use of the Annotations of Hardouin and Brotier: he would also have been very glad to have availed himself of the edition of Pliny, now printing in Paris, by the celebrated naturalist Cuvier; but he found difficulties in procuring even what had been yet published, which he had not anticipated. Perhaps, if a second edition should be called for, he may, by that time, through the intervention of a friend (and once a pupil), have the means of access to it. He has, also occasionally, had recourse to the old Translation of Philemon Holland, whose antiquated language, while it amuses by its quaintness, generally conveys a tolerably exact idea of the sense of his author. He is happy, however, to find that his friend, Dr. Bostock, has undertaken the task of introducing the Roman Naturalist to the acquaintance of the English reader in a style more likely to engage attention; and, from the specimen already published, he is

persuaded that the completion of the work will be hailed as a most valuable addition to the stock of English literature, especially when enriched, as it may be presumed it will, with Notes and Illustrations of a very superior character.

---

In making the following selection, the Editor is very doubtful whether he may be found to have succeeded to the full satisfaction of any. Different readers of Pliny will of course have different views of the comparative importance of the very various subjects treated of in his work. It must, however, be obvious to all who have read, or even looked over, the whole, that there are many things which must be deemed irreligious, and at the same time many deeply superstitious and *prodigious* (in the Latin sense of that word); that there are many idle stories and fanciful imaginations; that there is much sarcastic misanthropy in even his most valuable moral reflections; that there are perpetual references to minute circumstances connected with the history of Rome, and even with persons and events, at that time, probably, well known, but which would not, now, be at all interesting, or always profitable, to young persons: that the geographical part (B. 3—6) is, with few exceptions, a mere catalogue of names; and the botanical, or rather simpling and medicinal, collections (in B. 13, 23—30), and the medicines and *magic* of animals (B. 28, 31, 32), are a farrago of receipts

and notions, which would be wearisome to the youthful reader; though they may be worth the attention of the student of ancient geography, and the botanist and physician, in after-life. These things the Editor, mindful of the instructions of the Father of Modern Philosophy,\* has endeavoured carefully to exclude; or, if any are admitted, it has been either with a view to correct them in the Notes†, or because they illustrate some custom, or name of person or place, depending upon them.

On the whole, it is hoped that this small volume may be found to supply an agreeable variation at least, among the books now generally put into the hands of those young persons who have already made some proficiency in the Latin language; if it be not admitted as a substitute for them. Yet it will scarcely be denied that several of these, filled with stories grounded on the beastly mythology of the Greeks and Romans, are more calculated to pollute than to polish the youthful mind; while others, filled with accounts of battles and scenes of horrid cruelty, overspread with the false varnish of glory, have greatly contributed to keep up that taste for war and all its attendant miseries, so incompatible

\* *Missæ plane faciendæ sunt omnes narrationes superstitiosæ, et experimenta magiæ ceremonialis. Nolumus enim philosophiæ infantiam fabulis anilibus assuescere. Erit forsitan tempus, postquam in inquisitionem naturæ paulo altius penetratum sit, modi hujus res leviter percurrendi; ut siquid in illis fœcibus hæreat virtutis naturalis, ea extrahi et in usum condi possit. Bacon. Parasceue in Hist. Nat. Aphor. iii.*

† *Tertio, siquid subsit in aliqua narratione dubii vel scrupuli, id suppressi aut reticere omnino nolumus, sed plane et perspicue ascribi, notæ aut moniti loco. Cupimus enim historiam primam veluti facto sacramento de veritate ejus in singulis religiosissime conscribi, cum sit volumen operum Dei et (quantum inter majestatem Divinorum, et humilitatem terrenorum collationem, facere liceat) tamquam Scriptura altera. Aphor. ix.*

with the spirit which ought to be cherished by the disciples of the Prince of Peace.\*

Of Pliny, the elder, (as he is usually called, to distinguish him from his nephew, the panegyrist of Trajan, and the author of ten books of Epistles,) little is known but what is related of him by this nephew, in Epp. iii. 5, and vi. 16: the former giving a curious account of his mode of spending his time, and of his numerous works, the fruit of intense, but too promiscuous, study; the latter a most interesting narrative of his premature death by suffocation, while too closely observing the first recorded eruption of Vesuvius in the year of Christ 79. As this letter (addressed to Tacitus, the celebrated historian,) has been universally admired for the accuracy with which it describes the extraordinary natural phenomenon, and for the distinct account which it contains of the several particulars attending the catastrophe of his uncle's death, it seems to have been the practice of all the Editors of Pliny's Natural History to prefix it to this, the only one which has survived of his many works. The Editor of this

\* The Editor would not be understood to adopt the full extent of the sentiment expressed in the close of the following extract from a letter of the late Dr. Fothergill (published in the European Magazine for 1790, p. 85), but in the general idea he entirely coincides. "There is nothing which tends so much to keep alive the spirit of war as our education. We take part in all the spirit of heroism, displayed with so much elegance by the Greek and Roman historians, till the spirit of Christianity, meek, humble, patient, forgiving, is obliterated from our minds. A woful exchange, for a system replete with good-will to all mankind! I am not censuring others; I am pleading for ourselves; and most fervently wish the day may be fast approaching when wars will be no more. I am the brother of all mankind. I know I am writing to a gentleman who has charity enough to enter into my sentiments, and to wish, that, there were not a Classic extant, capable of producing, cherishing, and confirming, opposite sentiments!"

Abridgment is desirous to follow the example, persuaded that those young persons who shall have once perused the "graphic" description of his death (which it is recommended should precede their regular entrance upon the "Excerpta,") will be prepared to enter with peculiar interest upon what has flowed from his own pen.\*

---

LIB. VI. EPIST. XVI.

C. PLINIUS TACITO SUO. S.

PETIS ut tibi avunculi mei exitum scribam, quò veriùs tradere posteris possis. Gratias ago. Nam video morti ejus, si celebretur a te, immortalem gloriam esse propositam. Quamvis enim pulcherrimarum clade terrarum, ut populi, ut urbes, memorabili casu, quasi semper victurus occiderit, quamvis ipse plurima scripserit, plura tamen perpetuitati ejus scriptorum tuorum æternitas addet. Equidem beatos puto, quibus deorum munere datum est, aut facere scribenda, aut scribere legenda: beatissimos verò, quibus utrumque. Horum in numero avunculus meus et suis libris et tuis erit. Quò libentiùs suscipio, depono etiam, quod injungis. Erat Miseni, classemque imperio præsens regebat: Nonum Kalend. Septembres, horâ fere septimâ, mater mea indicat ei apparere nubem inusitatâ et magnitudine, et specie. Surgit ille, ut e Sole solebat, frigidâ gustatâ: jacens enim studebat. Poposcit soleas, ascendit locum, ex quo maximè miraculum illud conspici poterat. Nubes incertum procul intuentibus ex quo

\* For further particulars respecting Pliny, his life and writings, see Aikin's General Biography, vol. viii. p. 242; or General Biographical Dictionary, vol. xxv. p. 54-62.

monte (Vesuvium fuisse postea cognitum est) oriebatur: cujus similitudinem et formam, non alia magis arbor quam pinus, expresserit. Nam longissimo velut trunco efflata in altum, quibusdam ramis diffundebatur. Credo, quia recenti spiritu evecta, dein senescente eo destituta, aut etiam pondere suo victa, in latitudinem vanescebat, candida interdum, interdum sordida et maculosa, prout terram cineremve sustulerat. Magnum id, propiùsque noscendum, ut eruditissimo viro visum est. Jubet liburnicam aptari: mihi, si venire unà vellem, facit copiam. Respondi, "studere me malle:" et, fortè, ipse quod scriberem dederat. Egrediebatur domo: accepit codicillos. Retinæ classiarii, imminente periculo exterriti, (nam villa ea subjacebat: nec ulla, nisi navibus, fuga:) ut se tanto discrimini eriperet, orabant. Vertit ille consilium, et quod studioso animo inchoaverat, obit maximo. Deduxit quadriremes, ascendit ipse, non Retinæ modò, sed multis (erat enim frequens amœnitas oræ) laturus auxilium: properat illuc, unde alii territi fugiunt, rectumque cursum, recta gubernacula in periculum tenet: adeò solutus metu, ut omnes illius mali motus, omnes figuras ut deprehenderat oculis, dictaret, enotaretque. Jam navibus cinis incidebat, quò propiùs accederent, calidior et densior: jam pumices etiam, nigrique et ambusti et fracti igne lapidès: jam vadum subitum, ruinâque montis litora obstantia. Cunctatus paulum, an retro flecteret, mox gubernatori ut ita faceret monenti, "Fortes, inquit, fortuna juvat: Pomponianum pete." Stabiis erat, diremptus sinu medio. Nam sensim circumactis curvatisque litoribus mare infunditur. Ibi quanquam nondum periculo appropinquante, conspicuo tamen, et cùm cresceret, proximo, sarcinas contulerat in naves, certus fugæ, si contrarius ventus resedisset, quo tunc

avunculus meus secundissimo invectus complectitur trepidantem, consolatur, hortatur; utque timorem ejus suâ securitate leniret, deferri se in balineum jubet: lotus accubat, cenat, atque hilaris, aut, quòd æquè magnum est, similis hilari. Interim a Vesuvio monte pluribus locis latissimæ flammæ atque incendia relucebant, quorum fulgor et claritas tenebris noctis excitabatur. Ille "agrestium trepidatione ignes relictos, desertasque villas per solitudinem ardere," in remedium formidinis dictitabat. Tum se quieti dedit, et quievit verissimo quidem somno. Nam meatus animæ, qui illi propter amplitudinem corporis gravior et sonantior erat, ab iis, qui limini obversabantur, audiebatur. Sed area, ex quâ diæta adibatur, ita jam cinere mixtisque pumicibus oppleta surrexerat, ut si longior cubiculo mora esset, exitus negaretur. Excitatus procedit, seque Pomponiano, ceterisque qui pervigilârant, reddit. In commune consultant, intra tectane subsistant, an in aperto vagentur: nam crebris vastisque tremoribus tecta nutabant, et quasi emota sedibus suis, nunc huc, nunc illuc abire aut referri videbantur. Sub dio rursus, quamquam levium exesorumque pumicum casus metuebatur, quod tamen malorum collatio elegit; et apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem timor vicit. Cervicalia capitibus imposita linteis constringunt. Id munimentum adversùs incidentia fuit. Jam dies alibi, illic nox omnibus nigrior densiorque: quam tamen faces multæ variaque lumina solvebant. Placuit egredi in litus, et ex proximo adspicere ecquid jam mare admitteret, quod adhuc vastum et adversum permanebat. Ibi super abjectum linteum recubans sedit, atque iterum frigidam poposcit, hausitque. Deinde flammæ, flammarumque prænuntius odor sulphuris, alios in fugam vertunt: excitant illum, qui in-



nixus servis duobus assurrexit et statim concidit (ut ego conjecto) crassiore caligine spiritu obstructo, clausoque stomacho, qui illi naturâ invalidus, et angustus, et frequenter interæstuans, erat. Ubi dies redditus (is ab eo, quem novissimè viderat, tertius) corpus inventum integrum, illæsum, opertumque ut fuerat indutus. Habitus corporis quiescenti, quàm defuncto, similior. Interim Miseni ego et mater. Sed nihil ad historiam. Nec tu aliud, quàm de exitu ejus, scire voluisti: finem ergo faciam. Unum adjiciam, omnia me, quibus interfueram, quæque statim, cùm maximè vera memorantur, audieram, persecutum. Tu potissima excerpes. Aliud est enim epistolam, aliud historiam, aliud amico, aliud omnibus scribere. Vale.

---

Since the above Preface was written, the Editor has procured, through the kind intervention of the friend mentioned in p. v. (J. B. Wright, Esq. Fellow of Jesus College, Cambridge,) six volumes of Pliny, containing the first sixteen books; being all that are yet published of the Paris edition.

C. PLINII SECUNDI  
NATURALIS HISTORIA.

---

EXCERPTA E PREFATIONE.

---

C. PLINIUS SECUNDUS  
T. VESPASIANO SUO S.

———— Rerum natura, hoc est, vita narratur, et hæc sordidissimâ sui parte, ut plurimarum rerum aut rusticis vocabulis aut externis, immo barbaris, etiam cum honoris præfatione ponendis. Præterea iter est, non tritâ auctoribus viâ, nec quâ peregrinari animus expetat. Nemo apud nos qui idem tentaverit, nemo apud Græcos qui unus omnia ea tractaverit. Magna pars studiorum amœnitates quærimus. Quæ verò tractata ab aliis dicuntur immensæ subtilitatis, obscuris rerum tenebris premuntur. Jam omnia attingenda, quæ Græci τῆς ἐγκυκλοπαιδείας vocant, et tamen ignota, aut incerta ingeniis facta. Alia verò ita multis prodita, ut in fastidium sint adducta. Res ardua, vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus verò naturam, et naturæ suæ omnia. Itaque etiam non assecutis, voluisse, abundè pulcrum atque magnificentum est. Equidem ita sentio, peculiarem in studiis causam eorum esse, qui, difficultatibus victis, utilitatem juvandi

prætulerunt gratiæ placendi : idque jam et in aliis operibus ipse feci : et profiteor mirari me T. Livium, auctorem celeberrimum, in historiarum suarum, quas repetit ab origine Urbis, quodam volumine sic orsum : “Satis jam sibi gloriæ quæsitum : et potuisse se desinere, “ ni animus inquires pasceretur opere.” Profectò enim populi gentium victoris, et Romani nominis gloriæ, non suæ, composuisse illa decuit. Majus meritum esset, operis amore, non animi causâ perseverasse ; et hoc populo Romano præstitisse, non sibi. Viginti millia rerum dignarum curâ, (quoniam, ut ait Domitius Piso, “thesauros oportet esse, non libros,”) ex lectione voluminum circiter duùm millium, quorum pauca admodum studiosi attingunt, propter secretum materiæ, exquisitis auctoribus centum, inclusimus triginta sex voluminibus, adjectis rebus plurimis, quas aut ignoraverant priores, aut postea invenerat vita. Nec dubitamus, multa esse, quæ et nos præterierint. Homines enim sumus et occupati officiis : subcisivisque temporibus ista curamus, id est, nocturnis, ne quis vestrûm putet his cessatum horis. Dies vobis impendimus : cum somno valetudinem computamus : vel hoc solo præmio contenti, quòd dum ista (ut ait M. Varro) *musinamur*, pluribus horis vivimus. Profectò enim vita vigilia est. Quibus de causis atque difficultatibus nihil auso promittere ; hoc ipsum tu præstas quod ad te scribimus. Nec fiducia operis hæc est, sed indicatura. — Proinde occupantibus locum faveo : ego verò et posteris, quos scio nobiscum decertaturos, sicut ipsi fecimus cum prioribus. Argumentum hujus stomachi mei habebis, quòd in his voluminibus auctorum nomina prætexui. Est enim benignum, ut arbitror, et plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris, non, ut plerique ex iis, quos attigi, fecerunt. Scito enim conferentem auctores me deprehendisse a juratissimis et proximis veteres transcriptos ad verbum, neque nominatos : non illâ Virgilianâ virtute, ut certarent ; non Ciceronianâ simplicitate, qui in libros de Republicâ “Platonis se comitem,” profitetur : in Consolatione filiæ, “Crantorem, inquit, sequor :” item “Panætium de Officiis :” quæ volumina ejus ediscenda,

non modò in manibus quotidie habenda, nosti. Obnoxii profectò animi, et infelicis ingenii est, deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere, cùm præsertim sors fiat ex usurâ.——Et ne in totum videar Græcos insectari, ex illis nos velim intelligi pingendi fingendique conditoribus, quos in libellis his invenies, absoluta opera, et illa quoque quæ mirando non satiamur, pendenti titulo inscripsisse: ut *APELLES FACIEBAT*, aut *POLYCLETUS*: tamquam inchoatâ semper arte et imperfectâ, ut contra judiciorum varietates superesset artificii regressus ad veniam, velut emendaturo quidquid desideraretur, si non esset interceptus. Quare plenum verecundiæ illud est, quòd omnia opera tamquam novissima inscripsere, et tamquam singulis fato adempti. Tria non ampliùs, ut opinor, absolutè traduntur inscripta, *ILLE FECIT*, quæ suis locis reddam: quo apparuit, summam artis securitatem auctori placuisse, et ob id magnâ invidiâ fuere omnia ea. Ego planè meis adjici posse multa confiteor; nec his solis, sed et omnibus quæ edidi.

---

*C. Plinii Secundi Historiarum Mundi Liber Primus "Elenchos" est, seu Tabula, rerum omnium quæ in libris 36 sequentibus continentur, et auctorum qui citantur.*

---

## LIBER II.

I. 1. Mundum —— quem *κόσμον* Græci nomine ornamenti appellavere, eum nos a perfectâ absolutâque elegantîâ, mundum. Cælum quidem haud dubiè cælati argumento dicimus, ut interpretatur *M. Varro*. Adjuvat rerum ordo, descripto circulo, qui *Signifer* vocatur, in duodecim animalium effigies: et per illas *Solis cûrsus*, congruens tot seculis, ratio.

IV. 5. Nec de elementis video dubitari, quatuor ea esse. *Ignium summum*: inde tot stellarum collucen-

tium illos oculos. Proximum spiritûs, quem Græci nostrique eodem vocabulo *aera* appellant. Vitalem hunc, et per cuncta rerum meabilem, totoque consortum: hujus vi suspensam, cum quarto aquarum elemento, librari medio spatio tellurem. Ita mutuo complexu diversitatis effici nexum, et levia ponderibus inhiberi, quò minùs evolent: contráque gravia, ne ruant, suspendi, levibus in sublime tendentibus. Sic pari in diversu nisu, in suo quæque consistere, irrequieto mundi ipsius constricta circuitu: quo semper in se currente, imam atque mediam in toto esse terram, eandemque universi cardine stare pendentem, librantem per quæ pendeat: ita solam immobilem circa eam volubili universitate, eandem ex omnibus necti, eidemque omnia inhæti.

6. Inter hanc, cælumque, eodem spiritu pendent, certis discreta spatiis, septem sidera, quæ ab incessu vocamus errantia, cùm errent nulla minùs illis. Eorum medius Sol fertur, amplissimâ magnitudine ac potestate: nec temporum modò terrarumque, sed siderum etiam ipsorum, cælique rector. (Hunc mundi esse totius animi, ac planiùs mentem, hunc principale naturæ regimen, ac numen credere decet, opera ejus æstimantes.) Hic lucem rebus ministrat, aufertque tenebras: hic reliqua sidera occultat, illustrat: hic vices temporum, annumque semper renascentem ex usu naturæ temperat: hic cæli tristitiam discutit, atque etiam humani nubila animi serenat: hic suum lumen cæteris quoque sideribus fenerat, præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens, ut principi literarum Homero placuisse in uno eo video. —

VI. 8. — Summum esse quod vocant Saturni sidus, ideoque minimum videri, et maximo ambire circulo, ac tricesimo anno ad brevissima sedis suæ principia regredi, certum est. Omnium autem errantium siderum meatus, interque ea solis et lunæ, contrarium mundo agere cursum, id est, lævum, illo semper in dexteram præcipiti. Et quamvis assiduâ conversione immensæ celeritatis attollantur ab eo rapianturque in occasum, adverso tamen ire motu per suos quæque passus: ita fieri, ne convolutus aer, eandem in partem æternâ

mundi vertigine, ignavo globo torpeat, sed findatur, adverso siderum verbere discretus et digestus. Saturni autem sidus gelidæ ac rigentis esse naturæ, multoque ex eo inferiorem Jovis circulum, et ideo motu celeriori duodenis circumagi annis. Tertium Martis, quod quidam Herculis vocant, ignei, ardentis a solis vicinitate, binis fere annis converti. Ideoque hujus ardore nimio, et rigore Saturni, interjectum ambobus, ex utroque temperari Jovem, salutaremque fieri. Deinde solis meatum esse partium quidem trecentarum sexaginta: sed ut observatio umbrarum ejus redeat ad notas, quinque annis dies adjici, superque quartam partem diei. Quam ob causam quinto anno unus intercalaris dies additur, ut temporum ratio solis itineri congruat. Infra solem ambit ingens sidus, appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipsisque cognominibus æmulum solis ac Lunæ. Præveniens quippe et antematutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, ut Sol alter, diem maturans: contra ab occasu refulgens, nuncupatur Vesper, ut prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens. Quam naturam ejus Pythagoras Samius primus deprehendit, Olympiade circiter LXXII. qui fuit urbis Romæ annus CCXXII. Jam magnitudine extra cuncta alia sidera est: claritatis quidem tantæ, ut unius hujus stellæ radiis umbræ reddantur. Itaque et in magno nominum ambitu est. Alii enim Junonis, alii Isidis, alii Matris deûm appellavere. — Signiferi autem ambitum peragit trecenis et duo dequinquagenis diebus, ab Sole numquam absistens partibus sex atque quadraginta longiùs, ut Timæo placet.

Simili ratione, sed nequaquam magnitudine aut vi, proximum illi Mercurii sidus, a quibusdam appellatum Apollinis: inferiore circulo fertur novem diebus ocioe ambitu: modò ante Solis exortum, modò post occasum splendens, numquam ab eo viginti tribus partibus remotior, ut hic idem et Sosigenes docent. Ideo et peculiaris horum siderum ratio est, neque communis cum suprâ dictis. Namque ea et quartâ parte cæli a Sole abesse, et tertiâ: et adversa Soli sæpe cernuntur. —

9. Sed omnium admirationem vincit novissimum

sidus, terrisque familiarissimum, et in tenebrarum remedium ab naturâ repertum, Lunæ. Multiformi hæc ambage torsit ingenia contemplantium, et proximum ignorari maximè sidus indignantium: crescens semper, aut senescens. Et modo curvata in cornua facies, modò æquâ portione divisa, modò sinuata in orbem: maculosa, eademque subitò prænitens: immensa orbe pleno, ac repentè nulla: aliàs pernox, aliàs sera, et parte diei Solis lucem adjuvans: deficiens, et in defectu tamen conspicua: quæ mensis exitu latet, cùm laborare non creditur. Jam verò humilis, et excelsa, et ne id quidem uno modo, sed aliàs admota cælo, aliàs contigua montibus, nunc in Aquilonem elata, nunc in Austros dejecta: quæ singula in eâ deprehendit hominum primus Endymion: et ob id amore ejus captus famâ traditur. Non sumus profectò grati erga eos, qui labore curâque lucem nobis aperuere in hac luce: mirâque humani ingenii peste, sanguinem, et cædes condere annalibus juvat, ut scelera hominum noscantur mundi ipsius ignaris.

Proxima ergo cardini, ideoque minimo ambitu, vicenis diebus septenisque, et tertiâ diei parte, peragit spatia eadem, quæ Saturni sidus altissimum triginta (ut dictum est) annis. Deinde morata in coitu Solis biduò, cùm tardissimè, tricesimâ luce rursus ad easdem vices exit; haud scio an omnium quæ in cælo pernosci potuerunt, magistra: in duodecim mensium spatia oportere dividi annum, quando ipsa toties Solem, redeuntem ad principia, consequitur: Solis fulgore reliqua siderum regi, siquidem in toto mutuâtâ ab eo luce fulgere, qualem in repercussu aquæ volitare conspiciamus: Ideo molliore, et imperfectâ vi solvere tantùm humorem, atque etiam augere, quem Solis radii absumant: ideo et inæquali lumine aspici: quia ex adverso demum plena, reliquis diebus tantùm ex se terris ostendat, quantùm ex Sole ipsa concipiat. In coitu quidem non cerni, quoniam haustum omnem lucis adversa illò rege rat, unde acceperit. —

10. Defectus autem suos et Solis, rem in totâ contemplatione naturæ maximè miram, et ostento similem, eorum magnitudinum umbræque indices existere.

VII. Quippe manifestum est, Solem interventu Lunæ occultari, Lunamque terræ objectu, ac vices reddi; eosdem Solis radios Lunâ interposito suo auferente terræ, terrâque Lunæ. Hac subeunte repentinas obduci tenebras, rursumque illius umbrâ sidus hebetari. Neque aliud esse noctem, quàm terræ umbram. Figuram autem umbræ similem metæ, ac turbini inverso: quando mucrone tantùm ingruat, neque Lunæ excedat altitudinem; quoniam nullum aliud sidus eodem modo obscuratur, et talis figura semper mucrone deficiat. Spatio quidem consumi umbras, indicio sunt volucrum præalti volatus. ——— Stati autem atque menstrui non sunt utrique defectus, propter obliquitatem signiferi, Lunæque multivagos, ut dictum est, flexus. ———

IX. 12. ——— Apud Græcos autem investigavit primus omnium Thales Milesius, Olympiadis XLVIII. anno quarto, prædicto solis defectu, qui Alyatte rege factus est, urbis conditæ anno CLXX. Post eos utriusque sideris cursum in sexcentos annos præcinuit Hipparchus, menses gentium, diesque et horas, ac situs locorum, et visus populorum complexus, ævo teste, haud alio modo quàm consiliorum naturæ particeps. Viri ingentes, supraque mortalia, tantorum numinum lege deprehensâ, et miserâ hominum mente absolutâ, in defectibus scelera, aut mortem aliquam siderum pavente: quo in metu fuisse Stesichori et Pindari vatum sublimia ora palam est deliquio Solis: et in Lunâ veneficia arguente mortalitate, et ob id crepitu dissono auxiliante. Quo pavore ignarus causæ Nicias Atheniensium Imperator, veritus classem portu educere, opes eorum afflixit. Macti ingenio este, cæli interpretes, rerumque naturæ capaces, argumenti repertores, quo deos hominesque vicistis. ———

X. 13. Defectus ducentis viginti tribus mensibus redire in suos orbis certum est; Solisque defectum non nisi novissimâ primâve fieri Lunâ, quod vocant coitum: Lunæ autem non nisi plenâ, semperque citrà quàm proximè fuerit. Omnibus autem annis fieri utriusque sideris defectus statis diebus, horisque sub terrâ. Nec tamen cùm superne fiunt, ubique cerni, aliquando prop-



ter nubila, sæpius globo terræ obstante convexitatibus mundi. Intra ducentos annos Hipparchi sagacitate compertum est, et Lunæ defectum aliquando quinto mense a priore fieri, Solis verò septimo; eundem bis in triginta diebus supra terras occultari, sed ab aliis atque aliis hoc cerni: quæque sunt in hoc miraculo maximè mira, cùm conveniat umbrâ terræ Lunam hebetari, nunc ab occasûs parte hoc ei accidere, nunc ab exortûs: et quanam ratione, cùm Solis exortu umbra illa hebetatrix sub terra esse debeat, semel jam acciderit, ut in occasu Luna deficeret, utroque super terram conspicuo sidere. Nam ut quindecim diebus utrumque sidus quæreretur, et nostro ævo accidit, Imperatoribus Vespasianis, patre III., filio iterum consulibus.

XXIV. 26. Idem Hipparchus numquam satis laudatus, ut quo nemo magis adprobaverit cognitionem cum homine siderum, animasque nostras partem esse cæli, novam stellam et aliam in ævo suo genitam deprehendit; ejusque motu, quâ die fulsit, ad dubitationem est adductus, an hoc sæpius fieret, moverenturque et eæ quas putamus affixas. Idemque ausus ——— adnumerare posteris stellas, ac sidera ad nomen expungere, organis excogitatis, per quæ singularum loca, atque magnitudines signaret; ut facilè discerni posset ex eo, non modò, an obirent, nascerenturve, sed an omnino aliqua transirent, moverenturve; item an crescerent, minuerenturque, cœlo in hæreditate cunctis relicto, si quisquam, qui cretionem eam caperet, inventus esset.

XXV. Emicant et faces, non nisi cùm decidunt visæ; qualis Germanico Cæsare gladiatorum spectaculum edente, præter ora populi meridianò transcucurrit. Duo genera earum; Lampades vocant planè faces, alterum Bolidas, quale Mutinensibus malis visum est. Distant quòd faces vestigia longa faciunt, priore ardente parte; Bolidis verò perpetua ardens, longiorem trahit limitem.———

XXXI. 31. Et rursus plures Soles simul cernuntur: nec supra ipsum, nec infra, sed ex obliquo: numquam

juxta, nec contra terram: nec noctu: sed aut oriente, aut occidente. Semel et meridie conspecti in Bosphoro produntur, quia matutino tempore duraverunt in occasum. Trinos Soles antiqui sæpius videre: sicut Sp. Posthumio, Q. Mucio, et Q. Marcio, M. Porcio, et M. Antonio, P. Dolabellâ, et M. Lepido, L. Planco coss. Et nostra ætas vidit divo Claudio principe, consulatu ejus, Cornelio Orfito collegâ. Plures simul quàm tres, visi, ad hoc ævi numquam produntur.

XXXII. 32. Lunæ quoque trinæ, ut Cn. Domitio, C. Fannio consulibus, apparuere: quos plerique appellaverunt soles nocturnos.——

XXXVIII. 38. Hactenus de mundo ipso, sideribusque. Nunc reliqua cœli memorabilia. Namque et hoc cælum appellavere majores, quod alio nomine aera: omne quod inani simile, vitalem hunc spiritum fundit. Infra Lunam hæc sedes, multoque inferior, (ut animadverto propemodum constare) infinitum ex superiore naturâ aeris, infinitum et terreni halitûs miscens, utraque sorte confunditur. Hinc nubila, tonitrua, et alia fulmina. Hinc grandines, pruina, imbres, procellæ, turbines.—— Ventorum hoc regnum.

XLVI. 47. Veteres quatuor omnino servavere, per totidem mundi partes (ideo nec Homerus plures nominat) hebeti, ut mox judicatum est, ratione. Secuta ætas octo addidit, nimis subtili, et concisâ: proximis inter utramque media placuit, ad brevem ex numerosâ additis quatuor. Sunt ergo bini in quatuor cœli partibus: ab oriente æquinoctiali Subsolanus, ab oriente brumali Vulturinus: illum Apelioten, hunc Eurum Græci appellant. A meridie Auster, et ab occasu brumali Africus: Noton, et Liba nominant. Ab occasu æquinoctiali Favonius, ab occasu solstitiali Corus: Zephyrum et Argesten vocant. A septemtrionibus, Septemtrio: interque eum et exortum solstialem, Aquilo: Aparctias, et Boreas dicti. Numerosior ratio quatuor his interjecerat, Thrascian, mediâ regione inter septemtrionem, et occasum solstialem: itemque Cæciam, mediâ inter Aquilonem et exortum æquinoctialem, ab ortu solstitiali: Phœnicem, mediâ regione

inter ortum brumalem et meridiem. Item inter Liba et Noton, compositum ex utroque medium, inter meridiem et hybernum occidentem, Libonoton. Nec finis. Alii quippe Mesen nomine etiamnum addidere inter Borean et Cæcian: et inter Eurum et Noton, Euronotum.——

LII. 51. Fulminum plura genera traduntur. Quæ sicca veniunt, non adurunt, sed dissipant. Quæ humida, non urunt, sed infuscant. Tertium est, quod clarum vocant, mirificæ maximè naturæ, quo dolia exhauriuntur intactis operimentis, nulloque alio vestigio relicto. Aurum, et æs, et argentum liquatur intus, sacculis ipsis nullo modo ambustis, ac ne confuso quidem signo ceræ.

LV. 54. Fulgetrum priùs cerni, quàm tonitrum audiri, cùm simul fiant, certum est. Nec mirum: quoniam lux sonitu velocior. Ictum autem et sonitum congruere, ita modulante naturâ: sed sonitum perfecti esse fulminis, non illati. Etiamnum spiritum ocio-rem fulmine, ideo quati priùs omne et afflari, quàm percuti: nec quemquam tangi, qui prior viderit fulmen, aut tonitru audierit.——

LIX. 58. Celebrant Græci Anaxagorum Clazomenium, Olympiadis septuagesimæ octavæ secundo anno, prædixisse, cælestium literarum scientiâ, quibus diebus saxum casurum esset e Sole. Idque factum interdum in Thraciæ parte ad Ægos flumen. Qui lapis etiam nunc ostenditur, magnitudine vehis, colore adusto, comete quoque illis noctibus flagrante. Quod si quis prædictum credat, simul fateatur necesse est, majoris miraculi divinitatem Anaxagoræ fuisse; solvique rerum naturæ intellectum, et confundi omnia, si aut ipse sol lapis esse, aut umquam lapidem in eo fuisse credatur: decidere tamen crebrò, non erit dubium. In Abydi gymnasio ex eâ causâ colitur hodieque modicus quidem, sed quem in medio terrarum casurum idem Anaxagoras prædixisse narratur. Colitur et Cassandriæ, quæ Potidæa vocitata est, ob id deducta. Ego ipse vidi in Vocontiorum agro paulo antè delatum.

LX. 59. Arcus vocamus, extra miraculum frequen-

tes, et extra ostentum. Nam ne pluvios quidem, aut ærenos dies, cum fide portendunt. Manifestum est, radium solis immissum cavæ nubi, repulsâ acie in Solem refringi, colorumque varietatem mixturâ nubium, aeris, igniumque fieri. Certè nisi Sole adverso non fiunt; nec umquam, nisi dimidiâ circuli formâ; nec noctu, quamvis Aristoteles prodat aliquando visum, quod tamen fatetur idem non nisi quartadecimâ lunâ posse. Fiunt autem hyemè maximè ab æquinoctio autumnali, die decrescente. Quo rursus crescente ab æquinoctio verno, non existunt: nec circa solstitium longissimis diebus: brumâ verò, hoc est, brevissimis diebus, frequenter. Iidem sublimes humili Sole, humilesque sublimes, et minores, occidente aut oriente, sed in latitudinem diffusi: meridie exiles, verùm ambitûs majoris. Æstate verò per meridiem non cernuntur: post autumnæ æquinoctium, quâcumque horâ: nec umquam plures simul quàm duo.

LXIII. 63. Sequitur terra, cui uni rerum naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indidimus maternæ venerationis. Sic hominum illa, ut cælum dei: quæ nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper: novissimè complexa gremio jam a reliquâ naturâ abdicatos, tum maximè ut mater operiens: nullo magis sacra merito, quàm quo nos quoque sacros facit; etiam monumenta ac titulos gerens, nomenque prorogans nostrum, et memoriam extendens contra brevitatem ævi. Cujus numen ultimum jam nullis precamur irati grave: tamquam nesciamus hanc esse solam, quæ numquam irascatur homini. Aquæ subeunt in imbres, rigescunt in grandines, tumescunt in fluctus, præcipitantur in torrentes: aer densatur nubibus, furit procellis. At hæc benigna, mitis, indulgens, usûsque mortalium semper ancilla, quæ coactâ generat! quæ sponte fundit! quos odores saporisque! quos succos! quos tactus! quos colores! quàm bonâ fide creditum fœnus reddit! quæ nostri causâ alit! — Quas non ad delicias, quasque non ad contumelias servit homini? In maria jacitur, aut, ut freta admittamus, eroditur aquis: ferro, ligno, igne, lapide,

fruge, omnibus cruciatur horis, multoque plus, ut deliciis, quàm ut alimentis famuletur nostris. Nisi tamen, quæ summâ patiatur, atque extremâ cute, tolerabilia videantur. Penetramus in viscera, auri argentique venas, et æris ac plumbi metalla fodientes: gemmas et quosdam parvulos quærimus lapides, scrobibus in profundum actis. Viscera ejus extrahimus, ut digito gestetur gemma, quam petimus. Quot manus atteruntur, ut unus niteat articulus! —

LXVIII. 68. — Hæc est materia gloriæ nostræ, hæc sedes: hîc honores gerimus, hîc exercemus imperia, hîc opes cupimus, hîc tumultuamur humanum genus, hîc instauramus bella etiam civilia, mutisque cædibus laxiorem facimus terram. Et ut publicos gentium furores transeam, hæc in quâ conterminos pellimus, furtoque vicini cespitem nostro solo affodimus; ut qui latissimè rura metatus fuerit, ultraque fines exegerit accolæ, quotâ terrarum parte gaudeat? vel cum ad mensuram avaritiæ suæ propagaverit, quam tandem portionem ejus, defunctus, obtineat!

LXXXII. 80. — Variè quatitur, et mira eduntur opera, alibi prostratis mœnibus, alibi hiatu profundo haustis, alibi egestis molibus, alibi emissis annibus: nonnunquam etiam ignibus, calidisve fontibus, alibi averso fluminum cursu. Præcedit verò comitaturque terribilis sonus, aliàs murmur similis mugitibus, aut clamori humano, armorumve pulsantium fragori: pro qualitate materiæ excipientis, formæque vel cavernarum vel cuniculi per quem meat, exiliùs grassante in angusto, eodem rauco in recurvis, resultante in duris, fervente in humidis, fluctuante in stagnantibus: item fremente contra solida. Itaque et sine motu sæpe editur sonus. Nec simplici modo quatitur, sed tremit vibratque.— Hiatus verò aliàs remanet, ostendens quæ sorbuit, aliàs occultat ore compresso, rursusque ita inducto solo, ut nulla vestigia exstent, urbibus plerumque devoratis, agrorumque tractu hausto. —

LXXXIII. 81. Navigantes quoque sentiunt non dubiâ conjecturâ, sine flatu intumescente fluctu subitò, aut quatiente icti. Intremunt verò et in navibus posi-

ta, æquè quàm in ædificiis, crepituque prænuntiant: quin et volucres non impavidæ sedentes. Est et in cælo signum, præceditque motu futuro, aut interdiu, aut paulo post occasum sereno, ceu tenuis linea nubis in longum porrectæ spatium. Est et in puteis turbidior aqua, nec sine odoris tædio.

LXXXIV. 82. — Magna differentia est et in ipso genere motûs: pluribus siquidem modis quatitur. Tutissimum est, cùm vibrat crispante ædificiorum crepitu; et cùm intumescit adsurgens, alternoque motu residet: innoxium et cùm concurrentia tecta contrario ictu arietant: quoniam alter motus alteri renititur.— Undantis inclinatio, et fluctûs more quædam volutatio infesta est: aut cùm in unam partem totus se motus impellit. Desinunt autem tremores, cùm ventus emerit: sin verò duravere, non ante quadraginta dies sistuntur: plerumque et tardiùs, utpote cùm quidam annuo et biennii spatio duraverint.

LXXXV. 83. Factum est et hoc semel, quod equidem in Etruscæ disciplinæ voluminibus inveni, ingens terrarum portentum, L. Marcio, Sex. Julio coss. in agro Mutinensi. Namque montes duo inter se concurrerunt, crepitu maximo adsultantes, recedentesque, inter eos flammâ fumoque in cælum exeunte interdiu, spectante e viâ Æmiliâ magnâ equitum Romanorum, familiarumque et viatorum multitudine. Eo concursu villæ omnes elisæ: animalia permulta, quæ intrâ fuerant, exanimata sunt, anno ante sociale bellum, quod haud scio an funestius terræ ipsi Italiæ fuerit, quàm civilia. Non minùs mirum ostentum et nostra cognovit ætas, anno Neronis principis supremo, sicut in rebus ejus exposuimus, prætis oleisque, intercedente viâ publicâ, in contrarias sedes transgressis, in agro Marrucino, prædiis Vectii Marcelli equitis Romani, res Neronis procurantis.

LXXXVI. 84. Fiunt simul cum terræ motu et inundationes maris, eodem videlicet spiritu infusi, ac terræ residentis sinu recepti. Maximus terræ memoriâ mortaliū exstitit motus, Tiberii Cæsaris principatu, XII. urbibus Asiæ unâ nocte prostratis. Creberrimus Punico bello, intra eundem annum septies atque quinquages.

nuntiatus Romam. Quo quidem anno ad Trasymenum lacum dimicantes, maximum motum neque Pœni sentire, nec Romani. ———

---

LIBER III.

VI. 5. Italia ——— nec ignoro, ingrati ac segnis animi existimari posse meritò, si breviter atque in transcurso, ad hunc modum dicatur terra, omnium terrarum alumna, eadem et parens, numine deùm electa, quæ cælum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret, et tot populorum discordes ferasque linguas, sermonis commercio contraheret: colloquia, et humanitatem homini daret: breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. Sed quid agam? Tanta nobilitas omnium locorum, (quos quis attigerit?) Tanta rerum singularum populorumque claritas tenet. Urbs Roma, vel sola in eâ, et digna tam festâ cervice facies, quo tandem narrari debet opere? Qualiter Campaniæ ora per se, felixque illa ac beata amœnitas? Ut palam sit, uno in loco gaudentis opus esse naturæ. Jam verò tota ea vitalis ac perennis salubritatis cæli temperies, tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxii saltus, tam opaca nemora, tam munifica sylvarum genera, tot montium afflatus, tanta frugum et vitium, olearumque fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tot opima tauris colla, tot lacus, tot annium fontiumque ubertas totam eam perfundens, tot maria, portus, gremiumque terrarum commercio patens undique; et tanquam ad juvandos mortales, ipsa avidè in maria procurrens. Neque ingenia ritusque, ac viros, et linguâ manumque superatas commemoro gentes. Ipsi de eâ judicavere Græci, genus in gloriam suam effusissimum: quotam partem ex eo appellando Græciam magnam? ———

IX. Tiberis, antea Tybris appellatus, et priùs Albula, e mediâ fere longitudine Apennini, finibus Aretinorum profluit; tenuis primò, nec nisi piscinis

corrivatus, emissusque, navigabilis, sicuti Tinia et Glanis influentes in eum, novenorum ita conceptu dierum, si non adjuvent imbres. Sed Tiberis propter aspera et confragosa, ne sic quidem, præterquam trabibus veriùs quàm ratibus, longè meabilis fertur, per centum quinquaginta millia passuum non procul Tiferno, Perusiâque, et Ocriculo, Etruriam ab Umbris ac Sabinis, mox citra tredecim millia passuum Urbis Veientem agrum a Crustumino, dein Fidenatem, Latinumquea Vaticano dirimens: sed infra Aretinum Glanim duobus et quadraginta fluviis auctus, præcipuis autem Nare et Aniène, qui et ipse navigabilis Latium includit à tergo: nec minùs tamen aquis ac tot fontibus in urbem perductis: et ideo quamlibet magnarum navium ex Italo mari capax, rerum in toto orbe nascentium mercator placidissimus, pluribus propè solus, quàm cæteri in omnibus terris amnes, accolitur, aspiciturque villis. Nullique fluviorum minùs licet, inclusis utrinque lateribus: nec tamen ipse pugnat, quamquam creber ac subitis incrementis, et nusquam magis aquis quàm in ipsâ Urbe stagnantibus. Quin immo vates intelligitur potiùs ac monitor, auctu semper religiosus veriùs, quàm sævus.——

16. Padus e gremio Vesuli montis, celsissimum in cacumen Alpium elati, finibus Ligurum Vagiennorum, visendo fonte profluens, condensque sese cuniculo, et in Forovibiensium agro iterum exoriens, nulli annium claritate inferior: Græcis dictus Eridanus, ac pœnâ Phaethontis illustratus: augetur ad canis ortus liquatis nivibus: agris quamvis torrentior, nil tamen ex raptò sibi vindicans, atque ubi liquit agros, ubertate largior: trecentis millibus passuum a fonte addens meatu duode-nonaginta, nec amnes tantùm Apenninos Alpinosque navigabiles capiens, sed lacus quoque immensos in eum sese exonerantes, omni numero xxx. flumina in mare Adriaticum defert. Celeberrima ex iis, Apennini latere jactum, Tanarum: Trebiam Placentinum: Tarum, Inciam, Gabellum, Scultennam, Rhenum: Alpium verò Sturam, Orgum, Durias duos, Sessiten, Ticinum, Lambrum, Adduam, Olium, Mincium. Nec



alius annium tam brevi spatio majoris incrementi est. Urgetur quippe aquarum mole, et in profundum agitur, gravis terræ, quanquam deductus in flumina, et fossas inter Ravennam Altinumque cxx. millia passuum, tamen qua largiùs vomit, septem maria dictus facere.

---



---



---

## LIBER V.

X. Nilus incertis ortus fontibus, it per deserta et ardentia: et immenso longitudinis spatio ambulans, famâque tantùm inermi quæsitu cognitus, sine bellis, quæ ceteras omnes terras invenere. Originem (ut Juba rex potuit exquirere) in monte inferioris Mauritanîæ non procul oceano habet, lacu protinus stagnante, quem vocant Nilidem. Ibi pisces reperiuntur alabetæ, coracini, siluri. Crocodilus quoque inde ob argumentum hoc Cæsareæ in Iseo dicatus ab eo spectatur hodie. Præterea observatum est, prout in Mauritanîâ nives imbresve satiaverint, ita Nilum increscere. Ex hoc lacu profusus indignatur fluere per arenosa et squalentia, conditque se aliquot dierum itinere. Mox alio lacu majore, in Cæsariensis Mauritanîæ gente Massæsylûm erumpit, et hominum cœtus veluti circumspicit, iisdem animalium argumentis: iterum arenis receptus conditur rursus xx. dierum desertis ad proximos Æthiopas: atque ubi iterum senserit hominem, prosilit fonte (ut verisimile est) illo, quem Nigrin vocavere. Inde Africam ab Æthiopiâ dispescens, etiamsi non protinus populis, feris tamen et belluis frequens, sylvarumque opifex, medios Æthiopas secatur, cognominatus Astapus, quod illarum gentium linguâ significat aquam e tenebris fluentem. Insulas ita innumeras spargit, quasdamque tam vastæ magnitudinis, ut quamquam rapidâ celeritate, tamen dierum quinque cursu non breviori transvolet: circa clarissimam earum Meroen, Astabores lævo alveo dictus, hoc est, ramus aquæ venientis e tenebris: dextro verò Astusapes, quod latentis significationem adjicit:

nec antè Nilus, quam se totum aquis concordibus rursus junxit. Sic quoque etiamnum Siris, ut antè nominatus per aliquot millia, et in totum Homero Ægyptus, aliisque Triton: Subinde insulis impactus, totidem incitatus irritamentis: postremò inclusus montibus, nec aliunde torrentior, vectus aquis properantibus ad locum Æthiopum, qui Catadupi vocantur, novissimo cataracte inter occursantes scopulos non fluere immenso fragore creditur, sed ruere. Postea lenis et con fractis aquis, domitâque violentiâ, aliquid et spatio fessus, multis quamvis faucibus in Ægyptium mare se evomit. Certis tamen diebus auctu magno per totam spatiatum Ægyptum, fœcundus innatat terræ.

Causas hujus incrementi varias prodidere, sed maximè probabiles, Etesiarum eo tempore ex adverso flantium repercussum, ultrâ in ora actæ mari: aut imbres Æthiopiæ æstivos, iisdem Etesiis nubila illò ferentibus e reliquo orbe.——

Incipit crescere lunâ novâ, quæcumque post solstitium est, sensim modicequè Cancrum Sole transeunte, abundantissimè autem Leonem. Et residit in Virgine, iisdem, quibus adcrevit modis. In totum autem revocatur intra ripas in Librâ, ut tradit Herodotus, centesimo die. Cùm crescit, reges aut præfectos navigare eò, nefas judicatum est. Auctûs per puteos mensuræ notis deprehenduntur. Justum incrementum est cubitorum XVI. Minores aquæ non omnia rigant: ampliores detinent, tardiùs recedendo. Hæ serendi tempora absumunt solo madente: illæ non dant sitiente. Utrumque reputat provincia. In duodecim cubitis famem sentit, in tredecim etiamnum esurit: quatuordecim cubita hilaritatem adferunt: quindecim securitatem, sedecim delicias. Maximum incrementum ad hoc ævi fuit cubitorum decem et octo, Claudio principe: minimum queque Pharsalico bello, veluti necem Magni prodigio quodam flumine aversante. Cùm steteret aquæ, apertis molibus admittuntur. Ut quæque liberata est terra, seritur. Idem amnis unus omnium nullas exspirat auras.——

XV. 14. Supra Idumæam et Samariam Judæa longè

latéque funditur. Pars ejus Syriæ juncta, Galilæa vocatur: Arabiæ verò et Ægypto proxima, Peræa, asperis dispersa montibus, et a ceteris Judæis Jordane amne discreta. Reliqua Judæa dividitur in toparchias decem, quo dicemus ordine: Hiericuntem palmetis consitam, fontibus irriguam: Emmaum, Lyddam, Joppicam, Acrabatenam, Gophniticam, Thamniticam, Bethleptephenen, Orinen, in quâ fuere Hierosolyma, longè clarissima urbium orientis, non Judææ modò: Herodium cum oppido illustri ejusdem nominis.

15. Jordanis amnis oritur e fonte Paneade, qui cognomen dedit Cæsareæ, de quâ dicemus: amnis amœnus, et quatenus locorum situs patitur, ambitiosus, accolisque se præbens, velut invitus Asphaltiten lacum dirum naturâ petit, a quo postremò ebibitur, aquasque laudatas perdit pestilentibus mixtas. Ergo ubi prima convallium fuit occasio, in lacum se fundit, quem plures Genesaram vocant xvi. mill. passuum longitudinis, vi. mill. latitudinis, amœnis circumseptum oppidis: ab oriente, Juliade, et Hippo: a meridie, Taricheâ, quo nomine aliqui et lacum appellant: ab occidente Tiberiade, aquis calidis salubri.

16. Asphaltites nihil præter bitumen gignit: unde et nomen. Nullum corpus animalium recipit: tauri camelique fluitant. Inde fama, nihil in eo mergi. Longitudine excedit c. mill. passuum, latitudine maxima xxv. implet, minimâ sex. Prospicit eum ab oriente Arabia Nomadum, a meridie Machærus, secunda quondam arx Judææ ab Hierosolymis. Eodem latere est calidus fons medicæ salubritatis Callirrhoe, aquarum gloriam ipso nomine præferens.——

25. Palmyra urbs nobilis situ, divitiis soli, et aquis amœnis, vasto undique ambitu harenis includit agros: ac velut terris exempta a rerum naturâ, privatâ sorte inter duo imperia summa, Romanorum Parthorumque, et prima in discordiâ semper utrinque cura, abest a Seleuciâ Parthorum, quæ vocatur ad Tigrin cccxxxvii. millibus passuum: a proximo verò Syriæ littore, cciii. millibus: et a Damasco vigintiseptem propiùs.——

26. —— Euphrates —— parte lævâ in Mesopo-

tamiam vadit per ipsam Seleuciam, circa eam præfluenti infusus Tigri. Dexteriore autem alveo Babylonem, quondam Chaldææ caput petit, mediamque permeans, item quam Otrin vocant, distrahitur in paludes. Increscit autem et ipse Nili modo statis diebus, paulum differens, ac Mesopotamiam inundat, Sole obtinente vicesimam partem Cancrî: minui incipit in virgine, et Leone transgresso. In totum verò remeat in vicesimâ nona parte virginis.

XXVII. — Taurus mons, ab Eois veniens litoribus, Chelidonio promontorio disterminat. Immen- sus ipse, et innumerarum gentium arbiter, dextro latere septemtrionalis, ubi primùm ab Indico mari exsurgit, lævo meridianus, et ad occasum tendens: mediamque distrahens Asiam, nisi opprimenti terras occurrerent maria. Resilit ergo a septemtrione: flexusque im- mensum iter quærit, velut de industriâ rerum naturâ subinde æquora opponente, hinc Phœnicium, hinc Ponticum, illinc Caspium et Hyrcanium, contrâque Mæoticum lacum. Torquetur itaque collisus inter hæc claustra, et tamen victor, flexuosus evadit usque ad cognata Riphæorum montium juga, numerosis no- minibus et novis, quacumque incedit, insignis: Imaus primâ parte dictus, mox Emodus, Paropamisus, Cir- tius, Chambades, Paryadres, Choatras, Oreges, Oroan- des, Niphates, Taurus: atque ubi se quoque exsuperat, Caucasus: ubi brachia emittit, subinde tentanti maria similis, Sarpedon, Coracesius, Cragus, iterumque Taurus: etiam ubi dehiscit, seque populis aperit, por- tarum tamen nomine unitatem sibi vindicans, quæ alibi Armeniæ, alibi Caspiæ, alibi Ciliciæ vocantur. Quin- etiam confractus, effugiens quoque maria, plurimis se gentium nominibus hinc et illinc implet: a dextrâ Hyrcanius, Caspius: a lævâ Paryadres, Moschicus, Amazonicus, Coraxicus, Scythicus appellatus. In universum verò Gracè Ceraunius.

## LIBER VI.

I. 1. Pontus Euxinus, antea ab inhospitali feritate Axenos appellatus, peculiari invidiâ naturæ sine ullo fine indulgentis aviditati maris, et ipse inter Europam Asiamque funditur. Non fuerat satis oceano ambisse terras, et partem earum auctâ inanitate abstulisse: non irrupisse fractis montibus, Calpeque Africæ avulsâ tantò majora absorbuisset, quàm reliquerit, spatia: non per Hellespontum Propontida infudisse, iterum terris devoratis: a Bosporo quoque in aliam vastitatem panditur nullâ satietate, donec exspatianti lacus a Mæotii rapinam suam jungant. Invitis hoc accidisse terris, indicio, sunt tot augustiæ, atque tam parva naturæ repugnantis intervalla, ad Hellespontum octingentorum septuaginta quinque passuum: ad Bosporos duos, vel bubus meabili transitu: unde nomen ambobus, et jam quædam in dissociatione germanitas concors. Altum quippe cantus, canumque latratus invicem audiuntur: vocis etiam humanæ commercia, inter duos orbis manente colloquio, nisi cum id ipsum auferunt venti. —

XX. — Primî sunt hominum, qui noscantur, Seres, lanicio sylvarum nobiles, perfusam aquâ depectentes frondium canitiem; unde geminus fœminis nostris labor redordiendi fila, rursumque texendi. Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona transluceat. Seres mites quidem, sed et ipsis feris persimiles cœtum reliquorum mortalium fugiunt, commercia expectant. —

XXII. 18. Gangem alii incertis fontibus, ut Nilum, rigantemque vicina eodem modo, alii in Scythicis montibus nasci dixerunt. Influere in eum XIX. amnes. — Alii cum magno fragore ipsius statim fontis erumpere, dejectumque per scopulosa et abrupta, ubi primùm molles planities contingat, in quadam lacu hospitari: inde lenem fluere, ubi minimùm VIII. millia passuum latitudine: ubi modicùm, stadiorum centum: altitudine nusquam minore passuum XX. novissimâ

gente Gangaridum Calingarum : regia Parthalis vocatur.

19. Regi LX. mill. peditum, equites mille, elephantibus DCC. in procinctu bellorum excubant.

Namque vita mitioribus populis Indorum multipartita degitur. Alii tellurem exercent, militiam alii capesunt, merces alii suas evehunt : res publicas optimi ditissimique temperant, judicia reddunt, regibus adsident. Quintum genus celebratæ illic, et propè in religionem versæ sapientiæ deditum, voluntariâ semper morte vitam accenso priùs rogo finit. Unum super hæc est semiferum ac plenum laboris immensi, et quo suprâ dictâ continentur, venandi elephantibus domandisque. Iis arant, iis vehuntur, hæc maximè novere pecuaria : iis militant dimicantque, pro finibus. Delectum in bella, vires, et ætas, atque magnitudo faciunt. —

XXIV. 22. Taprobanen alterum orbem terrarum esse, diu existimatum est, Antichthonum appellatione. Ut liqueret insulam esse, Alexandri Magni ætas resque præstitere. Onesicritus, classis ejus præfectus, elephantibus ibi majores bellicosioresque, quàm in Indiâ, gigni scripsit : Megasthenes flumine dividi, incolasque Palæogonos appellari, auri margaritarumque grandium fertiliores, quàm Indos. Eratosthenes et mensuram prodidit, longitudinis VII. M. stad. latitudinis quinque M. nec urbes esse, sed vicus septingentos. Incipit ab Eoo mari, inter ortum occasumque Solis Indiæ prætentata, et quondam credita XX. dierum navigatione a Prasianâ gente distare : mox, quia papyraceis navibus, armamentisque Nili peteretur, ad nostrarum navium cursus, VII. dierum intervallo taxato. Mare interest vadosum, senis non ampliùs altitudinis passibus, sed certis canalibus ita profundum, ut nullæ ancoræ sidant : ob id navibus utrimque proræ, ne per angustias alvei circumagi sit necesse : Magnitudo ad terna millia amphorum. Siderum in navigando nulla observatio. Septemtrio non cernitur : sed volucres secum vehunt, emittentes sæpius, meatumque earum terram petentium comitantur. Nec plus quaternis mensibus anno navigant. Cavent a solstitio maximè centum dies, tum illo mari hyberno.

Hactenus a priscis memorata : nobis diligentior notitia Claudii principatu contigit, legatis etiam ex insulâ advectis. Id accidit hoc modo : Annii Plocami, qui maris Rubri vectigal a fisco redemerat, libertus, circa Arabiam navigans, aquilonibus raptus præter Carmaniam, xv. die Hippuros portum ejus invectus, hospitali regis clementiâ sex mensium tempore imbutus adloquio, percunctanti postea narravit Romanos et Cæsarem. Mirum in modum in auditis justitiam ille suspexit, quòd pares pondere denarii essent in captivâ pecuniâ, cùm diversæ imagines indicarent à pluribus factos. Et hoc maximè sollicitatus ad amicitiam, legatos quatuor misit, principe eorum Rachiâ. Ex iis cognitum d. esse oppida, portum contra meridiem, adpositum oppido Palæsimundo, omnium ibi clarissimo, ac regiam cc. mill. plebis. Stagnum intus Megisba, ccclxxv. mill. passuum ambitu, insulas pabuli tantùm fertiles complexum. Ex eo duos amnes erumpere : Palæsimumdum, juxta oppidum ejusdem nominis, influentem in portum tribus alveis, quinque stadiorum arctissimo, xv. amplissimo : alterum ad septemtriones Indiamque versum, Cydara nomine. Proximum esse Indiæ promontorium, quod vocetur Coliacum, quadridui navigatione, medio in cursu Solis insulâ occurrente. Mare id colore perviridi, præterea fruticosum arboribus, jubas earum gubernaculis deterentibus. Septemtriones Vergiliasque apud nos, veluti novo cælo, mirabantur. Ne Lunam quidem apud ipsos, nisi ab octavâ ad xvi. supra terram aspici fatentes. Canopum lucere noctibus, sidus ingens et clarum. Sed maximè mirum iis erat, umbras suas in nostrum cælum cadere, non in suum : solemque a lævâ oriri, et in dexteram occidere potiùs, quàm e diverso. Iidem narravere, latus insulæ, quod prætenderetur Indiæ, x. mill. stad. esse ab oriente hyberno. Ultra montes Emodos, Seras quoque ab ipsis aspici, notos etiam commercio : patrem Rachiæ commeasse eò : advenis sibi Seras occursare. Ipsos verò excedere hominum magnitudinem, rutilis comis, cæruleis oculis, oris sono truci, nullo commercio linguæ. Cætera eadem, quæ nostri negotiatores. Fluminis ulteriore ripâ merces po-

sitas juxta venalia tolli ab his, si placeat permutatio : non aliter odio justiore luxuriæ, quàm si perducta mens illuc usque cogitet, quid, et quo petatur, et quare.

Sed ne Taprobane quidem, quamvis extra orbem a naturâ relegata, nostris vitiis caret. Aurum argentumque et ibi in pretio. Marmor testudinis simile, gemmæ margaritæque in honore multò præstantiores ; et totus luxuriæ nostræ cumulus. Ipsorum opes majores esse dicebant, sed apud nos opulentia majorem usum. Servum nemini : non in diem aut interdium somnum : ædificia modicè ab humo exstantia, annonam numquam augeri, non fora litesve esse : coli Herculem : eligi regem a populo senectâ clementiâque, liberos non habentem : et si postea gignat, abdicari, ne fiat hæreditarium regnum. Rectores ei à populo xxx. dari : nec nisi plurium sententia quemquam capitis damnari : sic quoque appellationem esse ad populum ; et septuaginta judices dari : si liberent ii reum, ampliùs triginta, his nullam esse dignationem, gravissimo probro. Regi cultum Liberi patris, cæteris Arabum. Regem, si quid delinquat, morte multari, nullo interimente, aversantibus cunctis, et commercia etiam sermonis negantibus. Festa venatione absumi, gratissimam eam tigribus elephantisque constare. Agros diligenter coli : vitis usum non esse, pomis abundare. Esse et in piscatu voluptatem, testudinum maximè, quarum superficie familias habitantium contegi : tantâ reperiri magnitudine. Vitam hominum centum annis modicam. Hæc comperta de Taprobane. ———

XXX. ——— Mesopotamia tota Assyriorum fuit vicatim dispersa, præter Babylona, et Ninum. Macedones eam in urbes congregavere, propter ubertatem soli. Oppida, præter jam dicta, habet Seleuciam, Laodiceam, Artemitam : Item in Arabum gente, qui Orei vocantur, et Mardani, Antiochiam, quæ a præfecto Mesopotamiæ Nicanore condita Arabis vocatur. ———

Babylon, Chaldaicarum gentium caput, diu summam claritatem obtinuit in toto orbe, propter quam reliquæ pars Mesopotamiæ Assyriæque Babylonia appellata est, sexaginta millia passuum amplexa, muris ducenos pe-



des altis, quinquagenos latis, in singulos pedes ternis digitis mensurâ ampliore, quàm nostrâ, interfluo Euphrate, mirabili opere utroque. Durat adhuc ibi Jovis Beli templum. Inventor hic fuit sideralis scientiæ. Cæterò ad solitudinem rediit, exhausta vicinitate Seleuciæ, ob id conditæ a Nicatore intra nonagesimum lapidem, in confluyente Euphratis fossâ perducti, atque Tigris: quæ tamen Babylonia cognominatur, libera hodie ac sui juris, Macedonumque moris. Ferunt ei plebis urbanæ DC. M. esse: situm verò mœnium, aquilæ pendentis alas: agrum totius Orientis fertilissimum. Invicem ad hanc exhauriendam, Ctesiphontem juxta tertium ab eâ lapidem in Chalonitide condidere Parthi, quod nunc caput est regnorum. Et postquam nihil proficiebatur, nuper Vologesus rex aliud oppidum Volgesocertam in vicino condidit. Sunt etiamnum in Mesopotamiâ oppida: Hipparenum, Chaldæorum doctrinâ clarum et hoc, sicut Babylonii, juxta fluvium Narragam qui dedit civitati nomen. Muros Hipparenorum Persæ diruère. Orcheni quoque tertia Chaldæorum doctrina, in eodem situ locantur, ad meridiem versi.

---

Euphrate navigari Babylonem e Persico mari ccccxiij. mill. passuum tradunt Nearchus et Onesicritus. Qui verò postea scripsere, a Seleuciâ ccccxc. mill. Juba a Babylone Characem clxxv. mill. d. passuum. Fluere aliqui ultra Babylonem continuo alveo priusquam distrahitur ad rigûa, lxxxvii. mill. Universo autem cursu undecies centenis mill. passuum. Inconstantium mensuræ diversitas auctorum facit, cùm Persæ quoque schœnos et parasangas alii aliâ mensura determinent. —

27. Sed et de Tigri ipso dixisse conveniat. Oritur in regione Armeniæ majoris, fonte conspicuo in planitie. Loco nomen Elegosine est. Ipsius, quæ tardior fluit, Diglito: unde concitatur, a celeritate Tigris incipit vocari. Ita appellant Medi sagittam. Influit in lacum Arethusam omnia illata pondera sustinentem, et nitrum nebulis exhalantem. Unum genus ei piscium est, idque transcurrentis non miscetur alveo, sicut nec

e Tigri pisces in lacum transnatant. Fertur autem et cursu et colore dissimilis: transvectusque occurrente Tauro monte in specu mergitur, subterque lapsus a latere altero ejus erumpit. Locus vocatur Zoaranda. Eundem esse manifestum est quòd demersa perfert. Alterum deinde transit lacum, qui Thospites appellatur, rursusque in cuniculos mergitur, et post XXII. mill. passuum circa Nymphæum redditur. Tam vicinum Arsaniæ fluere eum in regione Arrhene Claudius Cæsar auctor est, ut, cùm intumuere, confluant, nec tamen misceantur: leviorque Arsaniæ innatat IV. mill. ferme spatio: mox divisus in Euphratem mergitur. —

—— Charax oppidum Persici sinûs intimum, a quo Arabia Eudæmon cognominata excurrit, habitatur in colle manu facto inter confluentes, dextrâ Tigrin, lævâ Eulæum II. mill. pass. laxitate. Conditum est primum ab Alexandro Magno: qui colonis ex urbe regiâ Durine (quæ tum interiit) deductis, militumque inutilibus ibi relictis, Alexandriam appellari jusserat: pagumque Pellæum, a patriâ suâ, quem propriè Macedonum fecerat. Flumina id oppidum expugnare. Postea Antiochus restituit quintus regum, et suo nomine appellavit. —

—— Hoc in loco genitum esse Dionysium, terrarum orbis sitûs recentissimum auctorem constat, quem ad commentanda omnia in Orientem præmisit divus Augustus, ituro in Armeniam ad Parthicas Arabicasque res majore filio. Non me præterit, nec sum oblitus, sui quemque sitûs diligentissimum auctorem visum nobis in introitu hujus operis. In hac tamen parte arma Romana sequi placet nobis, Jubamque regem, ad eundem Caium Cæsarem scriptis voluminibus de eadem expeditione Arabicâ.

XXXII. 28. Arabia gentium nulli postferenda, amplitudine longissimâ. — Ipsa verò peninsula Arabia inter duo maria, Rubrum Persicumque, procurrens, quodam naturæ artificio ad similitudinem atque magnitudinem Italiæ mari circumfusa, in eandem etiam cæli partem nullâ differentiâ spectat. Hæc quoque in illo situ felix. Populos ejus a nostro mari usque ad

Palmirenas solitudines diximus: reliqua nunc peragemus. Nomadas inde infestatoresque Chaldæorum, Scenitæ (ut diximus) claudunt et ipsi vagi, sed a tabernaculis cognominati, quæ ciliciis metantur, ubi libuit. Deinde Nabatæi oppidum includunt Petram nomine in convalle, paulo minùs duùm mill. passuum amplitudinis, circumdatum montibus inaccessis amne interfluente. Abest a Gazâ oppido littoris nostri DC. M. a sinu Persico CXXXV. M. Huc convenit utrumque bivium eorum qui et Syriâ Palmyram petiere, et eorum qui ab Gazâ venerunt. A Petrâ incoluere Omani ad Characem usque, oppidis quondam claris a Semiramide conditis, Abesamide et Soractiâ. Nunc sunt solitudines.——

---



---

## LIBER VII.

I. — Animantium — Principium jure tribuetur homini, cujus causâ videtur cuncta alia genuisse natura, magnâ sæva mercede contra tanta sua munera: ut non sit satis æstimare, parens melior homini, an tristior noverca fuerit. Ante omnia unum animantium cunctorum alienis velat opibus: ceteris variè tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumam, pennas, squamas, vellera. Truncos etiam arboresque cortice, interdum gemino, a frigoribus et calore tutata est. Hominem tantùm nudum, et in nudâ humo, natali die abjicit ad vagitus statim et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrimas, et has protinus vitæ principio. At hercules risus, præcox ille et celerrimus, ante quadragesimum diem nulli datur. Ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, et omnium membrorum nexus: itaque feliciter natus jacet, manibus pedibusque devinctis, flens animal ceteris imperaturum: et a suppliciis vitam auspicatur, unam tantùm ob culpam, quia natum est. Heu dementiam ab his initiis existimantium ad superbiam se genitos!

Prima roboris spes, primumque temporis munus

quadrupedi similem facit. Quando homini incessus? quando vox? quando firmum cibis os? quamdiu palpitations vertex, summæ inter cuncta animalia imbecillitatis indicium? Jam morbi, totque medicinæ contra mala excogitatæ, et hæ quoque subinde novitatibus victæ. Cetera sentire naturam suam; alia pernicitatem usurpare, alia præpetes volatus, alia nare: hominem scire nihil sine doctrinâ, non fari, non ingredi, non vesci: breviterque non aliud naturæ sponte, quàm flere. Itaque multi exstiterè, qui non nasci optimum censerent, aut quàm ocissimè aboleri.

Uni animantium luctus est datus, uni luxuria, et quidem innumerabilibus modis, ac per singula membra: uni ambitio, uni avaritia, uni immensa vivendi cupido, uni superstitio, uni sepulturæ cura, atque etiam post se de futuro. Nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido major, nulli pavor confusior, nulli rabies acrior. Denique cetera animantia in suo genere probè degunt: congregari videmus, et stare contra dissimilia. Leonum feritas inter se non dimicat: serpentium morsus non petit serpentes: ne maris quidem belluæ ac pisces, nisi in diversa genera, sæviunt. At hercules homini plurima ex homine sunt mala. ———

7. Miseret atque etiam pudet æstimantem quàm sit frivola animalium superbissimi origo, cùm plerumque abortûs causa fiat odor a lucernarum extinctu. His principiis nascuntur tyranni, his carnifex animus. Tu qui corporis viribus fidis, tu qui fortunæ munera amplexaris, et te ne alumnum quidem ejus existimas, sed partum: tu tamen cujus semper tinctoria est mens, tu qui te deum credis, aliquo successu tumens, tantî perire potuisti: atque etiam hodie minoris potes, quantulo serpentis ictus dente: aut etiam, ut Anacreon poeta, acino uvæ passæ: ut Fabius senator prætor, in lactis haustu uno pilo strangulatus. Is demum profectò vitam æquâ lance pensitabit, qui semper fragilitatis humanæ memor fuerit.

VI. 8. In pedes procedere nascentem, contra naturam est: quo argumento eos appellavere Agrippas, ut ægre partos: qualiter M. Agrippam ferunt genitum

unico propè felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modum genitis. Quamquam is quoque adversâ pedum valetudine, miserâ juventâ, exercito ævo inter arma mortisque, ad noxia successu, infelici terris stirpe omni, sed per utrasque Agrippinas maximè, quæ Caium et Domitium Neronem principes genuere, totidem faces generis humani. —

VII. 9. Auspiciatùs enectâ parente gignuntur: sicut Scipio Africanus prior natus, primusque Cæsarum a cæso matris utero dictus: quâ de causâ et Cæsones appellati. Simili modo natus et Manilius, qui Carthaginem cum exercitu intravit.

VIII. 10. Vopiscos appellabant e geminis, qui re-tenti utero nascerentur, altero interempto abortu. Namque maxima, etsi rara, circa hoc miracula existunt. —

XVI. — Procerissimum hominum ætas nostra divo Claudio principe Gabbarum nomine, ex Arabiâ advectum novem pedum, et totidem unciarum vidit. Fuere sub divo Augusto semipede addito, quorum corpora, ejus miraculi gratiâ, in conditorio Sallustianorum adservabantur hortorum. Positioni et Secundillæ erant nomina.

Eodem præside, minimus homo duos pedes et palmum, Conopas nomine, in deliciis Juliæ neptis ejus fuit: et mulier Andromeda liberta Juliæ Augustæ. Manium Maximum, et M. Tullium equites Romanos, binûm cubitorum fuisse, auctor est M. Varro: et ipsi vidimus in oculis adservatos. —

19. Ferunt Crassum, avum Crassi in Parthis interempti, numquam risisse, ob id Agelastum vocatum: sicut nec flesse multos. Socratem clarum sapientiâ eodem semper visum vultu, nec aut hilario magis, aut turbato. Exit hic animi tenor aliquando in rigorem quemdam, torvitatemque naturæ duram et inflexibilem, affectusque humanos adimit, quales ἀπαθείς Græci vocant, multos ejus generis experti: quodque mirum sit, auctores maximè sapientiæ, Diogenem Cynicum, Pyrrhonem, Heraclitum, Timonem, hunc quidem etiam n totius odium generis humani evectum. Sed hæc

parva naturæ insignia in multis varia cognoscuntur: ut in Antoniâ Drusi numquam exspuisse, in Pomponio consulari poetâ numquam ructasse. Quibus naturâ concreta sunt ossa, qui sunt rari admodum, cornei vocantur.

XIX. 20. Corpore vesco, sed eximiis viribus Tritannum, in gladiatorio ludo, Samnitium armaturâ celebrem, filiumque ejus militem Magni Pompeii, et rectos et transversos cancellatim toto corpore habuisse nervos, in brachiis etiam manibusque, auctor est Varro in prodigiôsâ virium elatione. Atque etiam hostem ab eo ex provocatione dimicantem, inermi dextrâ uno digito superatum, et postremo correptum in castra translatum. At Vinnius Valens meruit in prætorio, divi Augusti centurio, vehicula cum culeis onusta, donec exinanirentur, sustinere solitus: carpenta adprehensa unâ manu retinere, obnixus contrâ nitentibus jumentis: et alia mirifica facere, quæ insculpta monumento ejus spectantur. Ideo M. Varro: "Rusticellus, inquit, Hercules appellatus, mulum suum tollebat:" Fusius Salvius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus et ducenaria duo humeris contra scalas ferebat. Nos quoque vidimus Athanatum nomine, prodigiôsæ ostentationis, quingenario thorace plumbeo indutum, cothurnisque quingentorum pondo calciatum per scenam ingredi. C. Milonem athletam, cum constitisset, nemo vestigio educebat: malum tenenti nemo digitum corrigebat.

XX. Cucurrisse MCXL. stadia, ab Athenis Lacedæmonem, biduo Philippidem, magnum erat: donec Anystis cursor Lacedæmonius, et Philonides Alexandri Magni, a Sicyone Elin, uno die mille ducenta stadia cucurrerunt. Nunc quidem in Circo quosdam CLX. M. passuum tolerare non ignoramus. Nuperque Fonteio et Vipstano COSS. annos VIII. genitum puerum a meridie ad vesperam LXXV. millia pass. cucurrisse. Cujus rei admiratio ita demum solida perveniet, si quis cogitet nocte ac die longissimum iter vehiculis tribus Tiberium Neronem emensum, festinantem ad Drusum fratrem ægrotum in Germaniâ: in eo fuerunt CC. millia passuum.

XXI. 21. Oculorum acies vel maximè fidem excedentia invenit exempla. In nuce inclusum Iliadae Homeri carmen, in membranâ scriptum, tradidit Cicero. Idem, fuisse qui pervideret cxxxv. m. passuum. Huic et nomen M. Varro reddidit, Strabonem vocatum. Solitum autem Punico bello, a Lilybæo Siciliae promontorio, exeunte classe e Carthaginis portu, etiam numerum navium dicere. Callicrates ex ebore formicas et alia tam parva fecit animalia, ut partes earum a ceteris cerni non possent. Myrmecides quidem in eodem genere inclaruit, a quo quadrigam ex eadem materiâ, quam musca integeret alis, fabricatam; et navem, quam apicula pinnis absconderet.

XXII. 22. Auditus unum exemplum habet mirabile, proelium, quo Sybaris deleta est, eo die quo gestum erat, auditum Olympiæ. Nam Cimbricæ victoriæ, Castoresque Romani, qui Persicam victoriam ipso die, quo contigit, nuntiavere, visus, et numinum fuere præsagia.

XXIII. 23. Patientia corporis, ut est crebra sors calamitatum, innumera documenta peperit. Clarissimum in feminis, Lænæ meretricis, quæ torta non indicavit Harmodium et Aristogitonem tyrannicidas: in viris, Anaxarchi, qui simili de causâ cum torqueretur, prærosam dentibus linguam, unamque spem indicii, in tyranni os exspuit.

XXIV. 24. Memoria, necessarium maximè vitæ bonum, cui præcipua haud facile dictu est, tam multis gloriam ejus adeptis. Cyrus rex omnibus in exercitu suo militibus nomina reddidit: L. Scipio, populo Romano: Cineas Pyrrhi regis legatus senatui et equestri ordini Romæ, postero die quàm advenerat. Mithridates duarum et viginti gentium rex, totidem linguis jura dixit, pro concione singulas sine interprete adfatus. Charmadas quidam in Græciâ, quæ quis exegerat volumina in bibliothecis, legentis modo repræsentavit. Ars postremò ejus rei facta, et inventa est, a Simonide melico, consummata a Metrodoro Scepsio, ut nihil non iisdem verbis redderetur auditum. Nec aliud est æque fragile in homine; morborum et casus injurias atque

etiam metus sentiens, aliàs particulatim, aliàs universa. Ictus lapide oblitus est literas tantùm. Ex præalto tecto lapsus, matris et adfinium, propinquorumque cepit oblivionem: Alius ægrotus, servorum etiam: sui verò nominis Messala Corvinus orator. Itaque sæpe deficere tentat, ac meditatur, vel quieto corpore et valido. Somno quoque serpente amputatur; ut inanis mens quærat, ubi sit loci.

XXV. Animi vigore præstantissimum arbitror gentium Cæsarem Dictatorem. Nec virtutem constantiamque nunc commemoro, nec sublimitatem omnium capacem quæ cælo continentur: sed proprium vigorem celeritatemque quodam igne volucrem. Scribere aut legere, simul dictare et audire solitum accepimus. Epistolas verò tantarum rerum quaternas pariter libraribus dictare: aut si nihil aliud ageret, septenas. Idem signis collatis quinquagies dimicavit: solus M. Marcellum transgressus, qui undequadragies dimicaverat. Nam præter civiles victorias, undecies centena, et XCII. M. hominum occisa præliis ab eo, non equidem in gloriâ posuerim, tantam etiam coactam, humani generis injuriam: quod ita esse confessus est ipse, bellorum civilium stragem non prodendo.

XXVI. Justiùs Pompeio Magno tribuatur DCCCXLVI. naves piratis ademisse: Cæsari proprium et peculiare sit, præter suprâ dicta, clementiæ insigne: quâ usque ad pœnitentiam omnes superavit. Idem magnanimitatis perhibuit exemplum, cui comparari non possit aliud. Spectacula enim edita effusasque opes, aut operum magnificentiam in hac parte enumerare, luxuriæ faventis est. Illa fuit vera et incomparabilis invicti animi sublimitas: captis apud Pharsaliam Pompeii Magni scriniis epistolarum, iterumque apud Thapsum Scipionis, concremasse ea optimâ fide, atque non legisse.

XXVII. 26. Verùm ad decus imperii Rom. non solùm ad viri unius pertinet victoriam, Pompeii Magni titulos omnes, triumphosque hoc in loco nuncupari: æquato non modò Alexandri Magni rerum fulgore, sed etiam Herculis propè ac Liberi patris. Igitur Sicilia recuperatâ, unde primùm, Sullanus in reip. causâ exo-



riens, auspiciatus est: Africâ verò totâ subactâ, et in ditionem redactâ, Magnique nomine in spoliū inde capto, eques Rom. (id quod antea nemo) curru triumphali revectus est, et statim ad Solis occasum transgressus, excitatis in Pyrenæo tropæis, oppida DCCCLXXVI. ab Alpibus ad fines Hispaniæ ulterioris in ditionem redacta victoriæ suæ adscripsit, et majore animo Sertorium tacuit: belloque civili (quod omnia externa conciebat) extincto, iterum triumphales currus eques Rom. induxit, toties imperator, antequam miles. Postea ad tota maria, et deinde Solis ortus missus, hos retulit patriæ titulos, more sacris certaminibus vincen-  
tium. Neque enim ipsi coronantur, sed patrias suas coronant. Hos ergo honores Urbi tribuit in delubro Minervæ, quod ex manubiis dicabat. Cn. Pompeius Magnus Imp. bello xxx. annorum confecto, fuis, fugatis, occisis, in deditionem acceptis hominum centies vicies semel LXXXIII. M. depressis aut captis navibus DCCCXLVI. oppidis, castellis MDXXXVIII. in fidem receptis: terris a Mæotis lacu ad rubrum mare subactis, votum merito Minervæ. Hoc est breviarium ejus ab oriente. Triumphi verò, quem duxit a. d. tertium Kalendas Octobres, M. Pisone, M. Messalâ consulibus, præfatio hæc fuit: "Cum oram maritimam a prædonibus liberasset, et imperium maris populo Romano restituisset: ex Asiâ, Ponto, Armeniâ, Paphlagoniâ, Cappadociâ, Ciliciâ, Syriâ, Scythis, Judæis, Albanis, Iberiâ, insulâ Cretâ, Basternis, et super hæc de regibus Mithridate atque Tigrane triumphavit." Summa summarum in illâ gloriâ fuit, (ut ipse in concione dixit, cùm de rebus suis dissereret,) Asiam ultimam provinciarum accepisse, eandemque mediam patriæ reddidisse. Si quis e contrario simili modo velit percensere Cæsaris res, qui major illo apparuit, totum profectò terrarum orbem enumeret: quod infinitum esse conveniet.

XXVIII. 27. Cæteris virtutum generibus variè et multi fuere præstantes. Cato primus Porciæ gentis tres summas in homine res præstitisse existimatus ut esset optimus orator, optimus imperator, optimus

senator: quæ mihi omnia, etiamsi non priùs, attamen clariùs fulsisse in Scipione Æmiliano videntur, dempto præterea plurimorum odio, quo Cato laboravit. Itaque sit proprium Catonis, quater et quadrigies causam dixisse, nec quemquam sæpius postulatum, et semper absolutum.

XXIX. 28. Fortitudo in quo maximè exstiterit, immensæ quæstionis est, utique si recipiatur poetica fabulositas. Q. Ennius T. Cæcilium Dentrem, fratremque ejus præcipuè miratus, propter eos sextum decimum adjecit annalem. L. Siccus Dentatus, qui tribunus plebis fuit, Sp. Tarpeio A. Aterio consulibus, haud multò post exactos reges, vel numerosissima suffragia habet, centies vicies præliatus, octies ex provocatione victor, quadraginta quinque cicatricibus adverso corpore insignis, nullâ in tergo. Item spolia cepit xxxiv. donatus hastis puris duodeviginti, phaleris xxv. torquibus tribus et lxxx. armillis clx. coronis xxvi. civicis xiv. aureis viii. muralibus iii. obsidionali unâ, fisco æris x. captivis et xx. simul bubus, imperatores novem ipsius maximè operâ triumphantes secutus: præterea (quod optimum in operibus ejus reor) uno ex ducibus T. Romilio ex consulatu ad populum convicto malè acti imperii.

Rei militaris haud minora forent Manlii Capitolini decora, ni perdidisset illa exitu vitæ. Ante decimum septimum annum bina ceperat spolia. Primus omnium eques muralem acceperat coronam, vi. civicas, xxxvii. dona, xxiii. cicatrices adverso corpore exceperat: P. Servilium magistrum equitem servaverat, ipse vulneratus humerum ac femur. Super omnia, Capitolium summamque rem in eo solus a Gallis servaverat, si non regno suo servasset. Verùm sunt in his quidem virtutis opera magna, sed majora fortunæ.

M. Sergio, ut quidem arbitrator, nemo quemquam hominum jure prætulerit: licet pronepos Catilina gratiam nomini deroget. Secundo stipendio dexteram manum perdidit: stipendiis duobus ter et vicies vulneratus est: ob id neutrâ manu, neutro pede satis utilis: uno tantum servo, plurimis postea stipendiis

debilis miles. Bis ab Annibale captus, (neque enim cum quolibet hoste res fuit :) bis vinculorum ejus profugus, xx. mensibus nullo non die in catenis aut compedibus custoditus. Sinistrâ manu solâ quater pugnavit, duobus equis insidente eo suffossis. Dexteram sibi ferream fecit, eâque religatâ proeliatus. Cremonam obsidione exemit, Placentiam tutatus est: duodena castra hostium in Galliâ cepit: quæ omnia ex oratione ejus apparent, habitâ cum in præturâ sacris arceretur a collegis, ut debilis. Quos hic coronarum acervos constructurus hoste mutato? Etenim plurimum refert, in quæ cujusque virtus tempora inciderit. Quas Trebia, Ticinusve, aut Trasymenus civicas dedere? Quæ Cannis corona merita? unde fugisse, virtutis summum opus fuit. Ceteri profectò victores hominum fuere, Sergius vicit etiam fortunam.

XXX. 29. Ingeniorum gloriæ quis possit agere delectum, per tot disciplinarum genera, et tantam rerum operumque varietatem: nisi fortè Homero vate Græco nullum felicius exstitisse convenit, sive operis fortuna, sive materia æstimetur. Itaque Alexander Magnus, (etenim insignibus judiciis optimè, citraque invidiam, tam superba censura peragetur :) inter spolia Darii Persarum regis unguentorum scrinio capto, quod erat auro gemmisque ac margaritis pretiosum, varios ejus usus amicis demonstrantibus, (quando tædebat unguenti bellatorem et militiâ sordidum,) "immo hercule, inquit, librorum Homeri custodiæ detur:" ut pretiosissimum humani animi opus quàm maximè diviti opere servaretur. Item Pindari vatis familiæ penatibusque jussit parci, cum Thebas caperet. Aristotelis philosophi patriam condidit: tantæque rerum claritati tam benignum testimonium miscuit.

Archilochi poetæ interfectores Apollo arguit Delphis. Sophoclem tragici cothurni principem defunctum sepeliri Liber pater jussit, obsidentibus mœnia Lacedæmoniis: Lysandro eorum rege in quiete sæpius admonito, "ut pateretur humari delicias suas." Requisivit rex, quis supremum diem Athenis obiisset: nec difficulter ex iis, quem deus significasset, intellexit: pacemque funeri dedit.

XXXI. 30. Platoni sapientiæ antistiti Dionysius tyrannus, aliàs sævitiae superbiæque natus, vittatam navem misit obviam: ipse quadrigis albis egredientem in litore excepit. Viginti talentis unam orationem Isocrates vendidit. Æschines Atheniensis summus orator, cùm accusationem, quâ fuerat usus, Rhodiis legisset: legit et defensionem Demosthenis, quâ in illud pulsus fuerat exsilium: mirantibusque, "tum magis fuisse miraturos dixit, si ipsum orantem audivissent:" in calamitate testis ingens factus inimici. Thucydidem imperatorem Athenienses in exsilium egere, rerum conditorem revocare; eloquentiam mirati, cujus virtutem damnaverant. Magnum et Menandro in comico socco testimonium regum Ægypti et Macedoniæ contigit, classe et per legatos petito: majus ex ipso, regiæ fortunæ prælatâ literarum conscientia.

Perhibuere et Romani proceres etiam exteris testimonia. Cn. Pompeius confecto Mithridatico bello intraturus Posidonii sapientiæ professione clari domum, fores percuti de more a lictore vetuit: et fasces literarum januæ submitis, cui se Oriens Occidensque submiterat. Cato censorius, in illâ nobili trium sapientiæ procerum ab Athenis legatione, audito Carneade, quamprimùm legatos eos censuit dimittendos, quoniam illo viro argumentante, quid veri esset haud facilè discerni posset. Quanta morum commutatio? Ille semper alioquin universos ex Italiâ pellendos censuit Græcos: at pronepos ejus Uticencis Cato, unum ex tribunatu militum philosophum, alterum ex Cypriâ legatione deportavit. Eamdemque linguam ex duobus Catonibus, in illo abjecisse, in hoc importasse, memorabile est. Sed et nostrorum gloriam percenseamus.

Prior Africanus Q. Ennii statuam sepulcro suo imponi jussit: clarumque illud nomen, immo vero spoliū ex tertiâ orbis parte raptum, in cinere supremo cum poetæ titulo legi.

Divus Augustus carmina Virgilio cremari contra testamenti ejus verecundiam vetuit: majusque ita vati testimonium contigit, quàm si ipse sua probavisset.

M. Varronis in bibliothecâ, quæ prima in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romæ est, unius viventis posita imago est: haud minore (ut equidem reor) gloriâ, principe oratore et cive, ex illâ ingeniorum, quæ tunc fuit, multitudine, ùni hanc coronam dante, quàm cùm eidem Magnus Pompeius piratico ex bello navalem dedit. Innumerabilia deinde sunt exempla Romana, si persequi libeat: cùm plures una gens in quocumque genere eximios tulerit, quàm ceteræ terræ.

Sed et quo te, M. Tulli, piaculo taceam? quove maximè excellentem insigni prædicem? quo potiùs, quàm universi populi illius gentis amplissimo testimonio et e totâ vitâ tuâ consulatûs tantùm operibus electis? Te dicente, legem agrariam, hoc est, alimenta sua, abdicaverunt tribus: te suadente, Roscio theatralis auctori legis ignoverunt, notatasque se discrimine sedis æquo animo tulerunt: te orante, proscriptorum liberos honores petere puduit: tuum Catilina fugit ingenium: tu M. Antonium proscripsisti. Salve primus omnium parens patriæ appellate, primus in togâ triumphum linguæque lauream merite, et facundiæ Latiarumquæ literarum parens: atque (ut dictator Cæsar, hostis quondam tuus, de te scripsit) omnium triumphorum lauream adèpte majorem, quantò plus est, ingenii Romani terminos in tantum promovisse, quàm imperii, reliquis animi bonis.

31. Præstitere ceteros mortales sapientiâ, ob id Cati, Corculi, apud Romanos cognominati. Apud Græcos Socrates, oraculo Apollinis Pythii prælatus cunctis.

XXXII. 32. Rursus mortales oraculorum societatem dedêre Chiloni Lacedæmonio, tria præcepta ejus Delphis consecrando, aureis literis, quæ sunt hæc: "Nosse se quemque: et nihil nimium cupere: comitemque æris alieni atque litis, esse miseriam." Quin et funus ejus, cùm victore filio Olympiæ exspirasset gaudio, tota Græcia prosecuta est.—

XXXVI. 36. Pietatis exempla infinita quidem toto orbe exstitere: sed Romæ unum, cui comparari cuncta non queant. Humilis in plebe, et ideo ignobilis puer-

pera, supplicii causâ carcere inclusâ matre, cùm impetrasset aditum, a janitore semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam. Quo miraculo, matris salus donata pietati est, ambæque perpetuis alimentis, et locus ille eidem consecratus deæ, C. Quinctio, M'. Acilio coss. templo Pietatis exstructo in illius carceris sede, ubi nunc Marcelli theatrum est. Gracchorum pater, anguibus prehensis in domo, cùm responderetur, "ipsum victurum alterius sexûs interempto:" "Immo verò, inquit, meum necate: Cornelia enim juvenis est, et parere adhuc potest." Hoc erat uxori parcere, et reipublicæ consulere. Idque mox consecutum est. M. Lepidus Apuleiæ uxoris caritate post repudium obiit. P. Rutilius morbo levi impeditus, nuntiatâ fratris repulsâ in consulatûs petitione, illico exspiravit. P. Catienus Plotinus, patronum adeò dilexit, ut heres omnibus bonis institutus, in rogum ejus se jaceret.

XXXVII. 37. Variarum artium scientiâ innumerabiles enituere, quos tamen attingi par sit florem hominum libantibus: Astrologiâ Berosus, cui ob divinas prædictiones, Athenienses publicè in gymnasio statuatam inauratâ linguâ statuere. Grammaticâ Apollodorus, cui Amphictyones Græciæ honorem habuere. Hippocrates medicinâ: qui venientem ab Illyriis pestilentiam prædixit, discipulosque ad auxiliandum circa urbes dimisit: quod ob meritum honores illi, quos Herculi, decrevit Græcia. Eamdem scientiam in Cleombroto Ceo Ptolemæus rex Megalensibus sacris donavit c. talentis, servato Antiocho rege. Magna et Critobulo fama est, extractâ Philippi regis oculo sagittâ, et citra deformitatem oris curatâ orbitate luminis. Summa autem Asclepiadi Prusiensi, conditâ novâ sectâ, spretis legatis et pollicitationibus Mithridatis regis, repertâ ratione, quâ vinum ægris mederetur, relato e funere homine et servato: sed maximè sponsione factâ cum fortunâ, ne medicus crederetur, si umquam invalidus ullo modo fuisset ipse: et victor supremâ in senectâ lapsu scalarum exanimatus est.

XXXVIII. Grande et Archimedi geometricæ ac

**machinalis scientiæ testimonium M. Marcelli contigit, interdicto, cùm Syracusæ caperentur, ne violaretur unus: nisi fefellisset imperium militaris imprudentia. Laudatus est et Chersiphron Gnosius, æde Ephesiæ Dianæ admirabili fabricatâ: Philon, Athenis armamentario mille navium; Ctesibius, pneumaticâ ratione et hydraulicis organis repertis: Dinocrates metatus Alexandro condente in Ægypto Alexandriam. Idem hic imperator edixit, ne quis ipsum alius, quàm Apelles pingeret: quàm Pyrgoteles, sculperet: quàm Lysippus ex ære duceret: quæ artes pluribus inclaruere exemplis.**

**XXXIX. 38. Aristidis Thebani pictoris unam tabulam, centum talentis rex Attalus licitus est. Octoginta emit duas Cæsar dictator, Medeam et Ajacem Timomachi, in templo Veneris Genetricis dicaturus. Candaules rex, Bularchi picturam Magnetum exitii, haud mediocris spatii, pari rependit auro. Rhodum non incendit rex Demetrius, Expugnator cognominatus, ne tabulam Protogenis cremaret, a parte eâ muri locatam. Praxiteles marmore nobilitatus est, Gnidiâque Venere, præcipuè vesano amore cujusdam juvenis insigni: et Nicomedis æstimatione regis, grandi Gnidiorum ære alieno permutare eam conati. Phidiæ Jupiter Olympius quotidie testimonium perhibet: Mentori Capitolinus, et Diana Ephesia, quibus fuere consecrata artis ejus vasa. ———**

**XLI. 40. Gentium in toto orbe præstantissima una omnium, virtute, haud dubiè Romana exstitit. Felicitas cui præcipua fuerit homini, non est humani judicii: cum prosperitatem ipsam alius alio modo, et suoapte ingenio quisque terminet. Si verum facere judicium volumus, ac repudiatâ omni fortunæ ambitione decernere, mortalium nemo est felix. Abundè agitur, atque indulgenter fortuna decidit cum eo, qui jure dici non infelix potest. Quippe ut alia non sint, certè, ne lassescat fortuna, metus est: quo semel recepto, solida felicitas non est. Quid quòd nemo mortalium omnibus horis sapit? utinamque falsum hoc, et non a vate dictum quàm plurimi judicent! Vana mortalitas, et ad**

circumscribendum seipsam ingeniosa, computat more Thraciæ gentis: quæ calculos colore distinctos, pro experimento cujusque diei in urnam condit, ac supremo die separatos dinumerat, atque ita de quoque pronuntiat. Quid quòd iste calculi candore illo laudatus dies, originem mali habuit? Quàm multos accepta afflixere imperia? quàm multos bona perdidere, et ultimis mersere suppliciis? Ista nimirum bona, si cui, inter illa, hora in gaudio fuit. Ita est profectò, alius de alio judicat dies, et tamen supremus de omnibus: ideoque nullis credendum est. Quid quòd bona malis paria non sunt, etiam pari numero: nec lætitia ulla minimo mœrore pensanda? Heu vana et imprudens diligentia! numerus dierum comparatur: ubi quæritur pondus.

---

Unus hominum ad hoc ævi Felicis sibi cognomen adseruit L. Sulla, civili nempe sanguine, ac patriæ oppugnatione adoptatum. Et quibus felicitatis inductus argumentis? quòd proscribere tot millia civium ac trucidare potuisset. O prava interpretatio, et futuro tempore infelix! Non melioris sortis tunc fuere pereuntes, quorum miseremur hodie, cùm Sullam nemo non oderit? Age, non exitus vitæ ejus, omnium proscriptionum ab illo calamitate crudelior fuit, erodente se ipso corpore, et supplicia sibi gignente? —

XLVI. 45. In divo quoque Augusto, quem universa mortalitas in hac censurâ nuncupat, si diligenter æstimentur cuncta, magna sortis humanæ reperiantur volumina. Repulsa in magisterio equitum apud avunculum, et contra petitionem ejus prælatus Lepidus: proscriptionis invidia, collegium in triumviratu pessimorum civium, nec æquâ saltem portione, sed prægravi Antonio: Philippensi prælio morbus, fuga, et triduo in palude ægroti, et (ut fatentur Agrippa et Mæcenas) aquâ subter cutem fusâ turgidi, latebra: naufragia Sicula, et alia ibi quoque in speluncâ occultatio. Jam in navali fugâ urgente hostium manu, preces Proculeio mortis admotæ: cura Perusinæ contentionis: sollicitudo martis Actiaci: Pannonicis bellis ruina e turri: tot seditiones militum, tot ancipites morbi corporis: suspecta



Marcelli vota, pudenda Agrippæ ablegatio, toties petita insidiis vita, incusatæ liberorum mortes, luctusque non tantùm orbitate tristes: adulterium filiaë, et consilia parricidæ palam facta: contumeliosus privigni Neronis secessus: aliud neptis adulterium: juncta deinde tot mala: inopia stipendii, rebellio Illyrici, servitiorum delectus, juventutis penuria, pestilentia Urbis, fames sitisque Italiaë, destinatio exspirandi, et quadridui ineditâ major pars mortis in corpus recepta. Juxta hæc Variana clades, et majestatis ejus fœda sugillatio, abdicatio Postumi Agrippæ post adoptionem, desiderium post relegationem: inde suspicio in Fabium, arcanorumque prodicionem: hinc uxoris et Tiberii cogitationes, suprema ejus cura. In summâ, deus ille, cælumque, nescio adeptus magis, an meritis, herede hostis sui filio excessit.

XLVII. 46. Subeunt in hac reputatione Delphica oracula, velut ad castigandam hominum vanitatem a deo emissa. Duo sunt hæc: "Phedium felicissimum, qui pro patriâ proximè occubisset." Iterum a Gyge rege tunc amplissimo terrarum consultum, "Aglauum Psophidium esse feliciorum." Senior hic in angustissimo Arcadiaë angulo parvum, sed annuis victibus largè sufficiens, prædium colebat numquam ex eo egressus: atque (ut e vitæ genere manifestum est) minimâ cupidine minimum in vitâ mali expertus. ———

XLIX. 48. De spatio atque longinquitate vitæ hominum ——— Arganthonium Gaditanum octoginta annis regnasse propè certum est: putant quadragesimo cœpisse. Masinissam sexaginta annis regnasse indubitatum est: Gorgiam Siculum centum et octo vixisse. Q. Fabius Maximus sexaginta tribus annis augur fuit. M. Perpenna, et nuper L. Volusius Saturninus, omnium quos in consulatu sententiam rogaverant, superstites fuere. Perpenna septem reliquit ex iis, quos censor legeret: vixit annos xcviii. Quâ in re et illud adnotare succurrit, unum omnino quinquennium fuisse, quo senator nullus moreretur: cùm Flaccus et Albinus censores lustrum condidere, usque ad proximos censores, ab anno Urbis quingentesimo septuagesimo nono. M.

Valerius Corvinus c. annos implevit: cujus inter primum et sextum consulatum XLVI. anni fuere. Idem sellâ curuli semel ac vicies sedit, quoties nemo alius. Æquavit ejus vitæ spatium Metellus pontifex.

Et ex feminis Livia Rutilii xcvii. annos excessit: Statilia, Claudio principe, ex nobili domo, nonaginta novem: Terentia Ciceronis ciii. Clodia Ofilii cxv. hæc quidem etiam enixa quindecies. Luceia mima centum annis in scenâ pronuntiavit. ——— Accedunt experimenta recentissimi censûs, quem intra quadriennium imperatores Cæsares Vespasiani, pater filiusque censes egerunt. Nec sunt omnia vasaria excutienda: mediæ tantùm partis, inter Apennium Padumque, ponemus exempla. Centum viginti annos Parmæ tres edidere, Brixelli unus cxxv. Parmæ duo cxxx. Placentiæ unus, Faventiæ una mulier cxxxv. Bononiæ L. Terentius Marci filius, Arimini verò M. Aponius, c. et L. Tertulla, cxxxvii. Circa Placentiam in collibus oppidum est Velleiatium, in quo cx. annos sex detulere, quatur centenos videnos: unus, cl. M. Mucius M. filius, Galeriâ, Felix. Ac ne pluribus moremur in re confessâ, in regione Italiæ octavâ centenûm annorum censi sunt homines liv. centenûm denûm homines xiv. centenûm videnûm quinûm homines duo, centenûm tricenenûm homines quatuor, centenûm tricenenûm quinûm aut septenenûm totidem, centenûm quadragenûm homines tres. ———

Incertum ac fragile nimium est hoc munus naturæ, quidquid datur nobis: malignum verò et breve etiam in his, quibus largissimè contigit, universum utique ævi tempus intuentibus. Quid quod æstimatione nocturnæ quietis, dimidio quisque spatio vitæ suæ vivit? pars æqua morti similis exigitur, aut pœnæ, nisi contigit quies. Nec reputantur infantiae anni, qui sensu carent: non senectæ, in pœnam vivacis. Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties invocatâ morte, ut nullum frequentius sit votum. Natura verò nihil hominibus brevitate vitæ præstitit melius. Hebescunt sensus, membra torpent, præmorratur visus, auditus, incessus, dentes etiam ac ciborum

instrumenta: et tamen vitæ hoc tempus adnumeratur.\* ———

LIII. 52. Aviola consularis in rogo revixit: et quoniam subveniri non potuerat, prævalente flammâ vivus crematus est. ———

LV. 54. Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti: terrâ condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum. Et tamen multæ familiæ priscos servavere ritus: sicut in Corneliâ nemo ante Sullam dictatorem traditur crematus. Idque voluisse, veritum talionem, eruto C. Marii cadavere. Sepultus verò intelligitur quoquo modo conditus: humatus verò humo contactus.

LVI. 55. Post sepulturam variæ Manium ambages. Omnibus a supremâ die eadem quæ ante primum: nec magis a morte sensus ullus aut corpori aut animæ, quàm ante natalem. Eadem enim vanitas in futurum etiam se propagat, et in mortis quoque tempora ipsa sibi vitam mentitur: aliàs immortalitatem animæ, aliàs transfigurationem, aliàs sensum inferis dando, et Manes colendo, deumque faciendo, qui jam etiam homo esse desierit: ceu verò ullo modo spirandi ratio homini a ceteris animalibus distet, aut non diuturniora in vitâ multa reperiantur, quibus nemo similem divinat immortalitatem. Quod autem corpus animæ per se? quæ materiæ? ubi cogitatio illi? quomodo visus? auditus? aut quî tangit? qui usus ejus? aut quod sine his bonum? Quæ deinde sedes, quantave multitudo tot sæculis animarum, velut umbrarum? Puerilium ista delinimentorum, avidæque numquam desinere mortalitatis commenta sunt.† ———

\* Hæc in humanam vitam convicia a verâ philosophiâ maximè abhorrent.

† Quantas debemus gratias D. O. M. agere pro vitâ et immortalitate per Christum revelatâ; quî hanc mortem, ab Ethnicis tantâ formidine contemplatam, abolevit.

## LIBER VIII.

I. 1. Ad reliqua transeamus animalia, et primùm terrestria. Maximum est elephas, proximumque humanis sensibus: quippe intellectus illis sermonis patrii, et imperiorum obedientia, officiorumque, quæ didicere, memoria: amoris, et gloriæ, voluptas: immo verò, (quæ etiam in homine rara,) probitas, prudentia, æquitas. — Nam quod ad docilitatem attinet, regem adorant, genua submitunt, coronas porrigunt. Indis arant minores, quos appellant nothos.

II. 2. Romæ juncti primùm subiere currum Pompeii Magni Africano triumpho: quod priùs Indiâ victâ, triumphante Libero patre, monioratur. Procilius negat potuisse Pompeii triumpho junctos egredi portâ. Germanici Cæsaris munere gladiatorio, quosdam etiam inconditos motus edidere, saltantium modo. Vulgare erat, per auras arma jacere non auferentibus ventis, atque inter se gladiatorios congressus edere, aut lasciviente pyrrhiche colludere: postea et per funes incessere, lecticis etiam ferentes quaterni singulos puerperas imitantes: plenisque homine tricliniis accubitus iere per lectos ita libratis vestigiis, ne quis potantium attingeretur. —

V. 4. Mirum in plerisque animalium, scire quare pantantur: sed et per cuncta quid caveant. Elephas homine obvio fortè in solitudine, et simpliciter oberrante, clemens placidusque etiam demonstrare viam traditur. Idem vestigio hominis animadverso priùs quam homine, intremiscere insidiarum metu, subsistere ab olfactu, circumspectare, iras proflare, nec calcare, sed erutum proximo tradere, illum sequenti, nuncio simili usque ad extremum: et tunc agmen circumagi, et reverti, aciemque dirigi: adeò omnium odori durare virus illud, majore ex parte ne nudorum quidem pedum. Sic et tigris etiam feris cæteris truculenta, atque ipsa elephantum quoque spernens vestigia, hominis viso transferre dicitur protinus catulos. Quonam modo agnito? Ubi

antè conspecto illo, quem timet? Etenim tales sylvas minimè frequentari certum est. Sanè mirentur ipsam vestigii raritatem: sed unde sciunt timendum esse? Immo verò cur vel ipsius conspectum paveant, tantò viribus, magnitudine, velocitate præstantiores? Nimirum hæc est natura rerum, hæc potentia ejus, sævissimas ferarum maximasque numquam vidisse quod debeant timere, et statim intelligere cùm sit timendum.

5. Elephanti gregatim semper ingrediuntur. Ducit agmen maximus natu, cogit ætate proximus. Amnem transituri minimos præmittunt, ne majorum ingressu atterente alveum, crescat gurgitis altitudo. —

VI. 6. Elephantos Italia primum vidit Pyrrhi regis bello, et boves Lucas appellavit, in Lucanis visos, anno Urbis quadringentesimo septuagesimo secundo: Roma autem in triumpho, septem annis ad superiorem numerum additis. Eadem plurimos anno quingentesimo secundo, victoriâ L. Metelli pontificis in Siciliâ de Pœnis captos. Centum quadraginta duo fuere (aut ut quidam CXL.) transvecti ratibus, quas doliorum conser-tis ordinibus imposuerat. Verrius eos pugnasse in circo, interfectosque jaculis tradit penuriâ consilii: quoniam neque ali placuisset, neque donari regibus. L. Piso inductos dumtaxat in circum, atque ut contemptus eorum increceret, ab operariis hastas præpilatas habentibus, per circum totum actos. Nec quid deinde iis factum sit, auctores explicant, qui non putant interfectos.

VII. 7. Clara est unius e Romanis dimicatio adversus elephantum, cùm Annibal captivos nostros dimicare inter sese coegisset. Namque unum qui supererat, objecit elephanto: et ille, dimitti pactus, si interemisset, solus in arenâ congressus, magno Pœnorum dolore, confecit. Annibal, cùm famam ejus dimicationis contemptum allaturam belluis intelligeret, equites misit, qui abeuntem interficerent. Proboscidem eorum facillimè amputari, Pyrrhi præliorum experimentis patuit. Romæ pugnasse Fenestella tradit primum omnium in circo, Claudii Pulchri ædilitate curuli, M. Antonio, A. Posthumio coss. anno urbis sexcentesimo

quingentesimo quinto. Item post annos xx. Luculorum ædilitate curuli adversus tauros. Pompeii quoque altero consulatu, dedicatione templi Veneris victricis, pugnare in circo viginti, aut, ut quidam tradunt, xvii. Getulis ex adverso jaculantibus, mirabili unius dimicatione, qui pedibus confossis repsit genibus in cætervas, abrepta scuta jaciens in sublime, quæ decidentia voluptati spectantibus erant in orbem circumacta, velut arte non furore belluæ jacerentur. Magnum et in altero miraculum fuit, uno ictu occiso. Pilum autem sub oculo adactum, in vitalia capitis venerat. Universi eruptionem tentavere, non sine vexatione populi, circumdati clathris ferreis. Quâ de causâ Cæsar dictator, postea simile spectaculum editurus, euripis arenam circumdedit: quos Nero princeps sustulit, equiti loca addens. Sed Pompeiani amissâ fugæ spe misericordiam vulgi inenarrabili habitu quærentes supplicare, quadam sese lamentatione complorantes: tanto populi dolore, ut oblitus imperatoris, ac munificentiæ honori suo exquisitæ, flens universus consurgeret, dirasque Pompeio, quas ille mox luit, imprecaretur. Pugnare et Cæsari dictatori tertio consulatu ejus, viginti contra pedites quingentos: iterumque totidem turrati cum sexagenis propugnatoribus eodem, quo priores, numero peditum, et pari equitum ex adverso dimicante: postea singuli, principibus Claudio et Nerone, in consummatione gliadiatorum. Ipsius animalis tanta narratur clementia contra minùs validos, ut in grege pecudum occurrentia manu dimoveat, ne quod obterat imprudens: nec nisi lacessiti noceant, ideoque gregatim semper ambulent, minimè ex omnibus solivagi. Equitatu circumventi, infirmos aut fessos, vulneratosve, in medium agmen recipiunt: ac velut imperio ac ratione, per vices subeunt. Capti celerrimè mitificantur hordei succo.

VIII. 8. Capiuntur autem in Indiâ unum ex domitis agente rectore: qui deprehensum, solitarium, abactumve a grege, verberat ferum: quo fatigato, transcendit in eum, nec secus ac priorem regit. Africa foveis capit, in quas deerrante aliquo, protinus cæteri conge-

runt ramos, moles devolvunt, aggeres construunt, omnique vi conantur extrahere. Antea domitandi gratiâ, greges equitatu cogebant in convallem manu factam, et longo tractu fallacem : cujus inclusos ripis fossisque, fame domabant. Argumentum erat ramus, homine porrigente clementer acceptus. Nunc dentium causâ, pedes eorum jaculantur, alioquin mollissimos. Troglodytæ contermini Æthiopiæ, qui hoc solo venatu aluntur, arbores propinquas itineri eorum conscendunt. Inde totius agminis novissimum speculati, extremas in clunes desiliunt. Læva apprehenditur cauda : pedes stipantur in sinistro fœmine. Ita pendens alterum poplitem dextra cædit præacutâ bipenni : hoc crure tardato profugiens, alterius poplitis nervos ferit, cuncta præceleri pernicitate peragens. Alii tutiore genere, sed magis fallaci, intentos ingentes arcus defigunt humi longius. Hos præcipui viribus juvenes continent : alii connixi pari conatu contendunt, ac prætereuntibus sagittarum venabula infigunt, mox sanguinis vestigiis sequuntur. Elephantorum generis fœminæ multò pavidiore.

IX. 9. Domantur autem rabidi, fame et verberibus, elephantis aliis admotis, qui tumultuantem catenis coerceant : et aliàs circa coitus maximè efferantur, et stabula Indorum dentibus sternunt. Quapropter arcu eos coitu, fœminarumque pecuaria separant, quæ aut alio modo, quàm armentorum habent. Domiti militant, et turres armatorum in hostes ferunt, magnaque ex parte orientis bella conficiunt. Prosternunt acies, proterunt armatos. Iidem minimo suis stridore terrentur, vulneratique et territi retro semper cedunt, haud minore partium suarum pernicie. Indicum Afri pavent, nec contueri audent : nam et major Indicis magnitudo est.

X. 10. Decem annis gestare in utero vulgus existimat : Aristoteles biennio, nec ampliùs quàm singulos : vivere ducenis annis, et quosdam trecenis. Juventa eorum a sexagesimo incipit. Gaudent annibus maximè, et circa fluvios vagantur, cùm alioquin nare propter magnitudinem corporis non possint. Iidem frigoris

impatientes : maximum hoc malum : inflationemque et profluvium alvi, nec alia morborum genera sentiunt. Olei potu tela, quæ corpori eorum inhæreant, decidere invenio : a sudore autem faciliùs adhærescere. Et terram edisse his tabificum est, nisi sæpius mandant. Devorant autem et lapides. Truncos quidem gratissimo in cibatu habent. Palmas excelsiores fronte prosterunt, ac ita jacentium absumunt fructum. Mandunt ore : spirant et bibunt, odoranturque haud impropriè appellatâ manu. Animalium maximè odere murem : et si pabulum in præsepio positum attingi ab eo vidère, fastidiunt. Cruciatum in potu maximum sentiunt haustâ hirudine, quam sanguisugam vulgò cœpisse appellari adverto. Hæc ubi in ipso animæ canali se fixit, intolerando adficit dolore.

Durissimum dorso tergus, ventri molle, setarum nullum tegumentum : ne in caudâ quidem præsidium abigendo tædio muscarum, (namque id et tanta vastitas sentit :) sed cancellata cutis, et invitans id genus animalium odore. Ergo cùm extenti recepere examina, arctatis in rugas repentè cancellis, comprehensas enecant. Hoc iis pro caudâ, jubâ, villo est,

Dentibus ingens pretium, et deorum simulacris lautissima ex iis materia. Invenit luxuria commendationem et aliam, expetiti in callo manûs saporis, haud aliâ de causâ, credo, quàm quia ipsum ebur sibi mandere videtur. Magnitudo dentium videtur quidem in templis præcipua. Sed tamen in extremis Africæ, qua confinis Æthiopiæ est, postium vicem in domiciliis præbere : sepesque in iis et pecorum stabulis, pro palis, elephantorum dentibus fieri, Polybius tradidit, auctore Gulussâ regulo.

XI. 11. Elefantos fert Africa ultra Syrticas solitudines, et in Mauritanîâ : ferunt Æthiopes et Troglodytæ, ut dictum est : sed maximos India, bellantesque cum iis perpetuâ discordiâ dracones, tantæ magnitudinis et ipsos, ut circumplexu facili ambient, nexuque nodi præstringant. Commoritur ea dimicatio : victusque corruens, complexum elidit pondere.

XII. 12. Mira animalium pro se cuique solertia est,



ut his una. Ascendendi in tantam altitudinem difficultas draconi : itaque iter ad pabula speculatus, ab excelsâ se arbore injicit. Scit ille imparem sibi luctatum contra nexus ; itaque arborum aut rupium attritum quærit. Cavent hoc dracones, ob idque gressus primùm adligant caudâ. Resolvunt illi nodos manu. At hi in ipsas nares caput condunt, pariterque spiritum præcludunt, et mollissimas lancinant partes : iidem obvii deprehensi, in adversos erigunt se, oculosque maximè petunt. Ita fit ut plerumque cæci, ac fame et mæroris tabe confecti reperiuntur. —

XVII. — Mirum pardos, pantheras, leones, et similia, condito in corporis vaginas unguium mucrone, ne refringatur hebeteturve, ingredi : aversisque falculis currere, nec nisi appetendo protendere.

16. — Leoni præcipua generositas, tunc cùm colla armosque vestiunt jubæ. — Aristoteles (vir quem in iis magnâ secuturus ex parte, præfandum reor : Alexandro Magno rege inflammato cupidine animalium naturas noscendi, delegatâque hac commentatione Aristoteli, summo in omni doctrinâ viro, aliquot millia hominum in totius Asiæ Græciæque tractu parere jussa, omnium quos venatus, aucupia, piscatusque alebant : quibusque vivaria, armenta, alvearia, piscinæ, aviaria in curâ erant : ne quid usquam genitum ignoraretur ab eo : quos percunctando, quinquaginta ferme volumina illa præclara de animalibus condidit : quæ a me collecta in arctum, cum iis quæ ignoraverat, quæso ut legentes boni consulant, in universis rerum naturæ operibus, medioque clarissimi regum omnium desiderio curâ nostrâ breviter peregrinantes) tradit, leænam primo fetu parere quinque catulos, ac per annos singulos uno minùs : ab uno sterilescere. —

XVIII. Leonum duo genera : compactile et breve, crispioribus jubis. Hos pavidiores esse, quàm longos simplicique villo, eos contemptores vulnerum. — Raros in potu : vesci alternis diebus : a saturitate interim triduo cibus carere. Quæ possint, in mandendo solida devorare : nec capiente aviditatem alvo, coniectis in fauces unguibus extrahere, ut, si fugiendum in satie-

tate, abeant. Vitam iis longam docet argumento, quod plerique dentibus defecti reperiantur. Polybius Æmilianus comes, in senectâ hominem appeti ab iis refert, quoniam ad persequendas feras vires non superant. Tunc obsidere Africæ urbes: eâque de causâ crucifixos vidisse se cum Scipione, quia ceteri metu pœnæ similis absterrerentur eâdem noxâ.

XIX. Leoni tantum ex feris clementia in supplices; prostratis parcit: et ubi sævit, in viros potius, quam in feminas fremit, in infantes non nisi magnâ fame. Credit Libya intellectum pervenire ad eos precum. Captivam certè Getuliæ reducem audivi, multorum in silvis impetum a se mitigatum alloquio, ausam dicere se feminam, profugam, infirmam, supplicem animalis omnium generosissimi, ceterisque imperitantis, indignam ejus gloriâ prædam. Varia circa hoc opinio, ex ingenio cujusque, vel casu, mulceri alloquiis feras: quippe obvium serpentes extrahi cantu, cogique in pœnam, verum falsumne sit, vita non decreverit.

Leonum animi index cauda, sicut et equorum aures. Namque et has notas generosissimo cuique natura tribuit. Immotâ ergo placidus, clemens, blandientique similis, quod rarum est: crebrior enim iracundia. Ejus in principio, terra verberatur: incremento terga, ceu quodam incitamento, flagellantur. Vis summa in pectore. Ex omni vulnere, sive ungue impresso, sive dente, ater profluit sanguis. Iidem satiati, innoxii sunt. Generositas in periculis maximè deprehenditur: non in illo tantummodo, quòd spernens tela diu se terrore solo tuetur, ac velut cogi testatur: cooriturque non tamquam periculo coactus, sed tamquam amentia iratus. Illa nobilior animi significatio: quamlibet magnâ canum et venantium urgente vi, contemptim restitansque cedit in campis, et ubi spectari potest: idem ubi virgulta sylvasque penetravit, acerrimo cursu fertur, velut abscondente turpitudinem loco. Dum sequitur, insilit saltu quo in fugâ non utitur. Vulneratus observatione mirâ percussorem novit, et in quantalibet multitudine appetit. —

XX. Leonum simul plurium pugnam Romæ princeps

dedit Q. Scævola P. filius in curuli ædilitate. Centum autem jubatorum primus omnium L. Sulla, qui postea dictator fuit, in præturâ. Post eum Pompeius Magnus in circo DC. in iis jubatorum CCCXV. Cæsar dictator CCCC.

XXI. Capere eos, ardui erat quondam operis, foveisque maximè. Principatu Claudii casus rationem docuit, pudendam pæne talis feræ nomine, pastoris Gætuli sago contra ingruentis impetum objecto: quod spectaculum in arenam protinus translatum est, vix credibili modo torpescente tantâ illâ feritate, quamvis levi injectu operto capite, ita ut devinciatur non repugnans: videlicet omnis vis constat in oculis. Quò minus mirum sit, a Lysimacho Alexandri jussu simul incluso strangulatum leonem.

Jugo subdidit eos, primusque Romæ ad curram junxit M. Antonius, et quidem civili bello, cùm dimicatum esset in Pharsalicis campis, non sine quodam ostento temporum, generosos spiritus jugum subire illo prodigio significante: nam quòd ita vectus est cum mimâ Cytheride, supra monstra etiam illarum calamitatum fuit. Primus autem hominum leonem manu tractare ausus, et ostendere mansuefactum, Hanno e clarissimis Pœnorum traditur: damnatusque illo argumento, quoniam nihil non persuasurus vir tam artificis ingenii videbatur: et malè credi libertas ei, cui in tantum cessisset etiam feritas.

Sunt verò et fortuita eorum quoque clementiæ exempla. Mentor Syracusanus in Syriâ leone obvio suppliciter volutante, attonitus pavore, cùm refugienti undique fera opponeret sese, et vestigia lamberet adu-lanti similis, animadvertit in pede ejus tumorem vulnusque, et extracto surculo liberavit cruciatu. Pictura casum hunc testatur Syracusis. Simili modo Elphis Samius natione, in Africam delatus nave, juxta litus conspecto leone hiatu minaci, arborem fugâ petit, Libero patre invocato: quoniam tum præcipuus votorum locus est, cùm spei nullus est. Neque profugienti, cùm potuisset, fera institerat: et procumbens ad arborem, hiatu, quo terruerat, miserationem quærebat. Os

morsu avidiore inhæserat dentibus, cruciabatque inedia, tum pœna in ipsis ejus telis suspectantem, ac velut mutis precibus orantem: dum fortuitu fidens non est contra feram, multò diutiùs miraculo quàm metu, cessatum est. Degressus tandem evellit præbenti, et quam maximè opus esset, accommodanti. Traduntque quamdiu navis ea in litore steterit, retulisse gratiam venatus aggerendo. Quâ de causâ Libero patri templum in Samo Elpis sacravit, quod ab eo facto Græci *κεχρηθὸς Διονύσου* appellavere. Miremur postea vestigia hominum intelligi a feris, cùm etiam auxilia ab uno animalium sperent? Cur enim non ad alia iere? aut unde medicas manus hominis sciunt? nisi fortè vis malorum, etiam feras omnia experiri cogit.

17. Æquè memorandum et de pantherâ tradit Demetrius physicus, jacentem in mediâ viâ hominis desiderio, repentè apparuisse patri cujusdam Philini, assectatoris sapientiæ: illum pavore cœpisse regredi, feram verò circumvolutari non dubiè blandientem seque conflictantem mærore, qui etiam in pantherâ intelligi posset. Feta erat, catulis procul in foveam delapsis. Primum ergo miserationis fuit non expavescere: proximum, ei curam intendere: secutusque quâ trahebat vestem unguium levi injectu, ut causam doloris intellexit, simulque salutis suæ mercedem, exemit catulos: eâque cum iis prosequente, usque extra solitudines deductus, lætâ atque gestiente: ut facilè appareret gratiam referre, et nihil invicem imputare; quod etiam in homine rarum est. —

18. Tigrin Hyrcani et Indi ferunt animal velocitatis tremendæ, et maximè cognitæ, dum capitur totus ejus fetus, qui semper numerosus est. Ab insidiante rapitur, equo quàm maximè pernicipi, atque in recentes subinde transfertur. At ubi vacuum cubile reperit feta, (maribus enim cura non est sobolis:) fertur præceps, odore vestigans. Raptor adpropinquanté fremitu, abjicit unum e catulis. Tollit illa morsu, et pondere etiam ocyor acta remeat, iterumque consequitur, ac subinde: donec in navem regresso irrita feritas sævit in litore.

XXVI. Camelos inter armenta pascit Oriens, quarum duo genera, Bactriæ et Arabiæ: differunt, quòd illæ bina habent tubera in dorso, hæ singula: sub pectore alterum, cui incumbant. Dentium superiore ordine, ut boves, carent in utroque genere. Omnes autem jumentorum ministeriis dorso funguntur, atque etiam equitatu in præliis. Velocitas inter equos, sed sua cuique mensura, sicuti vires: Nec ultra adsuetum procedit spatium, nec plus instituto onere recipit. Odium adversùs equos gerunt naturale. Sitim et quadriduò tolerant: implenturque cum bibendi occasio est, et in præteritum, et in futurum, obturbatâ proculcatione priùs aquâ: aliter potu non gaudent. Vivunt quinquagenis annis, quædam et centenis. —

XXVII. Harum aliqua similitudo in duo transfertur animalia: Nabun Æthiopes vocant, collo similem equo, pedibus et cruribus bovi, camelo capite, albis maculis rutilum colorem distinguentibus, unde appellata camelopardalis, dictatoris Cæsaris Circensibus ludis primùm visa Romæ. Ex eo subinde cernitur, aspectu magis quàm feritate, conspicua: quare etiam ovis feræ nomen invenit.

XXVIII. 19. Pompeii Magni primum ludi ostenderunt chama, quem Galli rufum vocabant, effigie lupi, pardorum maculis. Idem ex Æthiopiâ, quas vocant *κῆπες*, quarum pedes posteriores pedibus humanis et cruribus, priores manibus fuere similes. Hoc animal postea Roma non vidit.

XXIX. 20. Iisdem ludis et rhinoceros, unius in nare cornus, qualis sæpe visus. Alter hic genitus hostis elephantò: cornu ad saxa limato præparat se pugnæ, in dimicatione alvum maximè petens, quam scit esse molliorem. Longitudo ei par, crura multò breviora, color buxeus. —

XXXVII. 25. Crocodilum habet Nilus, quadrupes malum, et terrâ pariter ac flumine infestum. Unum hoc animal terrestre linguæ usu caret. Unum superiore mobili maxillâ imprimat morsum, aliàs terribilem, pectinatim stipante se dentium serie. Magnitudine excedit plerumque duodeviginti cubita. Parit ova

quanta anseres: eaque extra eum locum semper incubat, prædivinatione quadam, ad quem summo auctu eo anno accessurus est Nilus. Nec aliud animal ex minori origine in majorem crescit magnitudinem. Et unguibus hic armatus est, contra omnes ictus cute invictâ. Dies in terrâ agit, noctes in aquâ, teporis utrumque ratione. Hunc saturum cibo piscium, et semper esculento ore, in litore somno datum, parva avis, quæ trochilos ibi vocatur, rex avium in Italiâ, invitat ad hiantium pabuli sui gratiâ, os primum ejus adsultim repurgans, mox dentes, et intus fauces quoque ad hanc scabendi dulcedinem quàm maximè hiantes: in quâ voluptate somno pressum conspicatus ichneumon,\* per easdem fauces, ut telum aliquod, immissus, erodit alvum. —

XXXVIII. — Quin et gens hominum est huic belluæ adversa in ipso Nilo Tentyritæ, ab insulâ, in quâ habitat, appellata. Mensura eorum parva, sed præsentia animi in hoc tantùm usu mira. Terribilis hæc contra fugaces bellua est, fugax contra insequentes: sed adversùm ire soli hi audent. Quin etiam flumini innatant: dorsoque equitantium modo impositi, hiantibus resupinò capite ad morsum, additâ in os clavâ, dextrâ ac lævâ tenentes extrema ejus utrimque, ut frenis in terram agunt captivos: ac voce etiam solâ territòs, cogunt evomere recentia corpora ad supulturam. Itaque uni ei insulæ crocodili non adnatant: olfactuque ejus generis hominum, ut Psyllorum serpentes fugantur. Hebetes oculos hoc animal dicitur habere in aquâ, extrâ acerrimi visûs: quatuorque menses hiemis inediâ semper transmittere in specu. Quidam hoc unum quamdiu vivat, crescere arbitrantur: vivit autem longo tempore.

XXXIX. Major altitudine in eodem Nilo bellua hippopotamus editur: unguibus binis, quales bubus, dorso equi, et jubâ, et hinnitu, rostro resimo, caudâ et dentibus aprorum aduncis, sed minùs noxiis: tergoris adscuta galeasque impenetrabilis, præterquam si humore

\* Notum Animal hâc gloriâ maximè, in eâdem natum Ægypto (cxxxvi).

madeat. Depascitur segetes, destinatione antè (ut ferunt) determinatas in diem, et ex agro ferentibus vestigiis, ne quæ revertenti insidiæ comparentur. —

XLVI. Hyænæ plurimæ gignuntur in Africâ, quæ et asinorum silvestrium multitudinem fundit. Mares in eo genere singuli feminarum gregibus imperitant. Timent libidinis æmulos, et ideo gravidas custodiunt; morsuque natos mares castrant. Contrà gravidæ latebras petunt, et parere furto cupiunt, gaudentque copiâ libidinis.

XLVII. Easdem partes sibi ipsi Pontici amputant fibri, periculo urgente, ob hoc se peti gnari: castoreum id vocant medici: aliàs animal horrendi morsûs, arbores juxta flumina, ut ferro, cædit: hominis parte comprehensâ, non antequam fracta concrepauerint ossa, morsus resolvit. Cauda piscium iis, cetera species lutræ. Utrumque aquaticum: utrique mollior plumâ pilus.

L. 32. Cervis quoque est sua malignitas, quamquam placidissimo animalium. Urgente vi canum, ultro confugiunt ad hominem. Et in pariendo semitas minùs cavent, humanis vestigiis tritas, quàm secreta ac feris opportuna. Conceptus earum post Arcturi sidus. Octonis mensibus ferunt partus, interdum et geminos. A conceptu separant se. At mares relictis, rabie libidinis sæviunt: fodiunt scrobes. Tunc rostra eorum nigrescunt, donec aliqui abluant imbres. Feminæ autem ante partum purgantur herbâ quadam, quæ seselis dicitur, faciliore ita utentes utero. A partu duas, quæ aros et seselis appellantur; pastæ redeunt ad fetum: illis imbui lactis primos volunt succos, quacumque de causâ. Editos partus exercent cursu, et fugam meditari docent: ad prærupta ducunt, saltumque demonstrant. Jam mares soluti desiderio libidinis, avidè petunt pabula. Ubi se præpingues sensere, latebras quærunt, fatentes incommodum pondus. Et aliàs semper in fugâ adquiescunt, stantesque respiciunt: cùm propè ventum est, rursus fugæ præsidia repetentes. Hoc fit intestini dolore, tam infirmi, ut ictu levi rumpatur intus. Fugiunt autem latratu canum audito secundâ

semper aurâ, ut vestigia cum ipsis abeant. Mulcentur fistulâ pastorali et cantu : cùm erexere aures, acerrimi auditûs : cùm remisere, surdi. Cetero animal simplex, et omnium rerum miraculo stupens : in tantum, ut equo aut buculâ accedente propiùs, hominem juxtâ venantem non cernant : aut si cernant, arcum ipsum sagittasque mirentur. Maria tranant gregatim nantes porrecto ordine, et capita imponentes præcedentium clunibus, vicibusque ad terga redeuntes. Hoc maximè notatur a Ciliciâ Cyprum trajicientibus. Nec vident terras, sed in odore earum natant. Cornuâ mares habent, solique animalium omnibus annis stato veris tempore amittunt : ideo sub ipsâ die quàm maximè in via petunt. Latent amissis velut inermes. ——— Indicia quoque ætatis in illis gerunt, singulos annis ad-jicientibus ramos usque ad sexennes. Ab eo tempore similia revivescunt : nec potest ætas discerni, sed dentibus senecta declaratur. Aut enim paucos, aut nullos habent : nec in cornibus imis ramos, alioqui ante frontem prominere solitos junioribus. Non decidunt castatis cornua, nec nascuntur. Erumpunt autem renascentibus tuberibus primò aridæ cutis similia. Eadem teneris increscunt ferulis, arundineas in paniculas, molli plumatâ lanugine. Quamdiu carent iis, noctibus procedunt ad pabula : increscentia Solis vapore durant, ad arbores subinde experientes : ubi placuit robur, in aperta prodeunt. Captique jam sunt, ederâ in cornibus viridante, ex attritu arborum, ut in aliquo ligno, teneris, dum experiuntur, innatâ. Fiunt aliquando et candido colore, qualem fuisse tradunt Q. Sertorii cervam, quam esse fatidicam Hispaniæ gentibus persuaserat. ——— Vita cervis in confesso longa, post centum annos aliquibus captis cum torquibus aureis, quos Alexander Magnus addiderat, adopertis jam cute in magnâ obesitate ———

LIII. 35. Hystrices generat India et Africa spinâ contectas, herinaceorum genere ; sed hystrici longiores aculei, et cùm intendit cutem, missiles. Ora urgentium figit canum, et paulo longiùs jaculatur. Hibernis autem se mensibus condit : quæ natura multis, et ante omnia ursis.



LIV. 36. — Mares (ursi) quadragenis diebus latent, feminæ quaternis mensibus: specus si non habuere, ramorum fruticumque congerie ædificant, impenetrabiles imbribus, mollique fronde constratos. Primis diebus bis septenis tam gravi somno premuntur, ut ne vulneribus quidem excitari queant. Tunc mirum in modum veterno pinguescunt. Illi sunt adipēs medicaminibus apti, contraque capilli defluvium tenaces. Ab iis diebus resident, ac priorum pedum suctu vivunt. Fetus rigentes adprimendo pectori fovēt, non alio incubitu, quàm ad ova volucres. — Procedunt vere, sed mares præpingues: cuius rei causa non prompta est: quippe nec somno quidem saginatis, præter quatuordecim dies, ut diximus. — Invalidissimum urso caput, quod leoni fortissimum: ideo urgente vi, præcipitaturi se ex aliquâ rupe, manibus eo operto jaciuntur: ac sæpe in arenâ colapho infracto exanimantur. — Ingrediuntur et bipedes. Arborem aversi derepunt. Tauros, ex ore cornibusque eorum pedibus omnibus suspensi, pondere fatigant. Nec alteri animalium in maleficio stultitia solertior. —

LVI. Præparant hyemi et herinacei cibos: ac volutati supra jacentia poma adfixa spinis, unum ampliùs tenentes ore, portant in cavas arbores. Idem mutationem Aquilonis in Austrum, condentes se in cubile præsagiunt. Ubi verò sensere venantem, contracto ore pedibusque, ac parte omni inferiore, quâ raram et innocuam habent lanuginem, convolvuntur in formam pilæ, ne quid comprehendi possit præter aculeos. In desperatione verò, urinam ex se reddunt tabificam, tergori suo spinisque noxiam, propter hoc se capi gnari. Quamobrem exinanità priùs urinâ venari, ars est. Et tum præcipua dos tergori, aliàs corrupto, fragili, putribus spinis atque deciduis, etiam si vivat subtractus fugâ: ob id non nisi in novissimâ spe maleficio eo perfunditur: quippe et ipsi odere suum veneficium, ita parcentes sibi, terminumque supremum opperientes, ut ferme antè captivitas occupet. Calidæ postea aquæ adpersu resolvitur pila: adprehensusque pede altero e posterioribus, suspendio ac fame necatur: aliter non

est occidere, et tergori parcere. Ipsum animal, non ut remur plerique, vitæ hominum supervacuum est: si non sint illi aculei, frustra vellerum mollitie in pecude mortalibus datâ: hac cute expoliuntur vestes. —

LXI. 40. Ex his quoque animalibus, quæ nobiscum degunt, multa sunt cognitu digna: fidelissimumque ante omnia homini canis, atque equus. Pugnasse adversùs latrones canem pro domino accepimus, confectumque plagis a corpore non recessisse, volucres et feras abigentem. Ab alio in Epiro agnitum in conventu percussorem domini, laniatuque, et latratu coactum fateri scelus. Garamantum regem canes ducenti ab exsilio reduxere, prælia contra resistentes. Propter bella Colophonii, itemque Castabalenses, cohortes canum habuere: hæ primæ dimicabant in acie numquam detrectantes: hæc erant fidelissima auxilia, nec stipendiorum indiga. Canes defendere Cimbris cæsis domus eorum plaustris impositas. Canis Iasone Lycio interfecto, cibum capere noluit, inediâque consumptus est. — Apud nos Volcatium nobilem, qui Cascellium jus civile docuit, asturcone e suburbano redeuntem, cùm advesperavisset, canis a grassatore defendit. Item Cælium senatorem ægrum Placentiæ ab armatis oppressum: nec priùs ille vulneratus est, quàm cane interempto. Sed super omnia in nostro ævo actis populi Romani testatum, Appio Junio et P. Silio coss. cùm animadverteretur ex causâ Neronis Germanici filii, in Titium Sabinum, et servitia ejus, unius ex his canem nec a carcere abigi potuisse, nec a corpore recessisse abjecti in gradibus Gemitoriis, mæstos edentem ululatus, magnâ populi Romani coronâ: ex quâ cùm quidam ei cibum objecisset, ad os defuncti tulisse. Innatavit idem, cadaver in Tiberim abjecti sustentare conatus, effusâ multitudine ad spectandum animalis fidem.

Soli dominum novere: et ignotum quoque, si repentè veniat, intelligunt. Soli nomina sua, soli vocem domesticam agnoscunt. Itinera, quamvis longa, meminere. Nec ulli præter hominem memoria major.

Indiam petenti Alexandro Magno, rex Albaniae dono dederat inusitatae magnitudinis unum: cujus specie delectatus jussit ursos, mox apros, et deinde damas emitti, contemptu immobili jacente eo. Quam segnitie tanti corporis offensus Imperator generosi spiritus, eum interimi jussit. Nuntiavit hoc fama regi. Itaque alterum mittens addidit mandata, ne in parvis experiri vellet, sed in leone, elephantove. Duos sibi fuisse: hoc interempto, praeterea nullum fore. Nec distulit Alexander, leonemque fractum protinus vidit. Postea elephantum jussit induci, haud alio magis spectaculo laetatus. Horrentibus quippe per totum corpus villis, ingenti primùm latratu intonuit: moxque increvit adsultans, contraque belluam exurgens hinc et illinc, artifici dimicatione, quam maximè opus esset, infestans atque evitans, donec assiduam rotatum vertigine adflixit, ad casum ejus tellure concussam. —

LXIV. 42. Eidem Alexandro et equi magna raritas contigit: Bucephalon eum vocarunt, sive ab aspectu torvo, sive ab insigni taurini capitis, armo impressi. Tredecim talentis ferunt ex Philonici Pharsalii grege emptum, etiam tum puero capto ejus decore. Neminem hic alium, quam Alexandrum, regio instratus ornatu, recepit in sedem, alios passim recipiens. Idem in proeliis memoratae cujusdam perhibetur operae, Thebarum oppugnatione vulneratus in alium transire Alexandrum non passus: multa praeterea ejusdem modi, propter quae rex defuncto ei duxit exsequias: Urbemque tumulo circumdedit nomine ejus. Nec Caesaris dictatoris quemquam alium recepisse dorso equus traditur: idemque humanis similes pedes priores habuisse, hac effigie locatus ante Veneris Genitricis aedem. Fecit et divus Augustus equo tumulum, de quo Germanici Caesaris carmen est. Agrigenti complurium equorum tumuli pyramides habent. —

LXV. Ingenia eorum inenarrabilia: jaculantes obsequia experiuntur, difficiles conatus corpore ipso nisique invitantium. Jam tela humi collecta equiti porrigunt. Nam in Circo ad currus juncti, non dubiè intellectum adhortationis et gloriae fatentur. Claudii Caesaris secularium ludorum Circensibus, excusso

in carceribus aurigâ Albato Corace, occupavere primum obtinere, opposcentes, effundentes, omniaque contra æmulos, quæ debuissent peritissimo aurigâ insistente, facientes: cùm puderet hominum artem ab equis vinci, peracto legitimo cursu ad cretam stetere. Majus augurium apud priscos, plebeiis Circensibus excusso aurigâ, ita ut si staret, in Capitolium cucurrisset equos ædemque ter lustrasse: maximum verò, eodem pervenisse ab Veiis cum palmâ et coronâ, effuso Ratumenâ, qui ibi vicerat: unde postea nomen portæ est.

Sarmatæ longinqua itinera acturi, inediâ pridie præparant eos, potum exiguum impertientes: atque ita per centena millia et quinquaginta continuo cursu euntibus insident. Vivunt annis quidam quinquagenis, feminæ minore spatio: eadem quinquennio finem crescendi capiunt, mares anno addito. Forma equorum, quales maximè legi oporteat, pulcherrimè quidem Virgilio vate absoluta est. Sed et nos diximus in libro de jaculatione equestri condito: et fere inter omnes constare video. Diversa autem Circo ratio quæritur. Itaque cùm bimi in alio subigantur imperio, non ante quinquennes ibi certamen accipit. —

LXVIII. 43. Asinum cccc. millibus nummum emptum Q. Axio senatori, auctor est M. Varro, haud scio an omnium pretio animalium victo. Opera sine dubio generi mirifica, arando quoque, sed mularum maximè progeneratione. Patria etiam spectatur in his, Arcadicis in Achaiâ, in Italiâ Reatinis. Ipsum animal frigoris maximè impatiens. —

LXIX. 44. Ex asino et equâ mula gignitur mense tertio decimo, animal viribus in labores eximium. — Gignitur autem mula ex equo et asinâ, sed effrenis, et tarditatis indomitæ. —

LXX. 45. — Tauris in aspectu generositas, torvâ fronte, auribus setosis, cornibus in procinctu dimicationem poscentibus. Sed tota comminatio prioribus in pedibus. Stat irâ gliscente alternos replicans, spargensque in alvum arenam, et solus animalium eo stimulo ardescens. — Huic tantum animali omnium, quibus procerior cauda, non statim nato consummatæ,

ut ceteris, mensuræ : crescit uni, donec ad vestigia ima perveniat. Quamobrem victimarum probatio in vitulo, ut articulum suffraginis contingat : brevior non litant. ———

LXXI. 46. Bos in Ægypto etiam numinis vice colitur, Apim vocant. Insigne ei, in dextro latere candicans macula, cornibus Lunæ crescere incipientis. Nodus sub linguâ, quem cantharum appellant. Non est fas eum certos vitæ excedere annos, mersumque in sacerdotum fonte enecant, quæsitori luctu alium, quem substituant : et donec invenerint, mœrent, derasis etiam capitibus : nec tamen umquam diu quæritur. Inventus deducitur Memphim a sacerdotibus. ———

LXXII. 47. Magna et pecori gratia, vel in placamentis deorum, vel in usu vellerum. Ut boves victum hominum excolunt, ita corporum tutela pecori debetur. Generatio bimis utrimque ad novenos annos : quibusdam et ad decimum. Primiparis minores fetus. Coitus omnibus ad Arcturi occasum, id est, a tertio Idus Maias, ad Aquilæ occasum, in x. Kal. Aug. Gerunt partum diebus centum quinquagintâ : postea concepti invalidi. Cordos vocabant antiqui post id tempus natos. Multi hibernos agnos præferunt vernis, quoniam magis intersit ante solstitium quàm ante brumam firmos esse, solumque hoc animal utiliter brumâ nasci. ——— Ovium summa genera duo, tectum et colonicum : illud mollius, hoc in pascuo delicatius, quippe cùm tectum rubis vescatur. Operimenta ei ex Arabicis præcipua.

LXXIII. 48. Lana autem laudatissima Apula, et quæ in Italiâ Græci pecoris appellatur, alibi Italica. Tertium locum Milesiæ oves obtinent. Apulæ breves villo, nec nisi pænulis celebres. Circa Tarentum Canusiumque summam nobilitatem habent. In Asiâ verò eodem genere Laodiceæ. Alba circumpadanis nulla præfertur, nec libra centenos nummos ad hoc ævi excessit ulla. Oves non ubique tondentur : durat quibusdam in locis vellendi mos : colorum plura genera : quippe cùm desint etiam nomina eis. ——— Lanæ et per se coactam vestem faciunt : et si addatur acetum,

etiam ferro resistunt: immo verò etiam ignibus, novissimo sui purgamento: quippe ahenis polientium extractæ, in tomenti usum veniunt, Galliarum, ut arbitror, invento: certè Gallicis hodie nominibus discernitur: nec facilè dixerim, quâ id ætate cœperit. Antiquis enim torus e stramento erat, qualiter etiam nunc in castris. Gausapa patris mei memoriâ cœpere: amphimalla nostrâ: sicut villosa etiam ventralia: nam tunica lati clavi, in modum gausapæ texti nunc primùm incipit. —

LXXIV. Lanam in colo et fuso Tanaquilis, quæ eadem Caia Cæcilia vocata est, in templo Sanci durasse, prodente se, auctor est M. Varro: factamque ab eâ togam regiam undulatam in æde Fortunæ, quâ Ser. Tullius fuerat usus. Inde factum, ut nubentes virgines comitaretur colus compta, et fusus cum stamine. —

LXXV. In ipsâ ove satis generositatis ostenditur brevitate crurum, ventris vestitu: quibus nudus esset, apicas vocabant, damnabantque. Syriæ cubitales ovium caudæ, plurimumque in eâ parte lanicii. Castrari agnos nisi quinquemestres, præmaturum existimatur.

Est et in Hispaniâ, sed maximè Corsicâ, non maximè absimile pecori, genus musmonum, caprino villo, quàm pecoris velleri, propius. Quorum e genere et ovibus natos prisci Umbros vocarunt. Infirmissimum pecori caput, quamobrem aversum a Sole, pasci cogendum. Quàm stultissima animalium lanata. Quâ timuere ingredi, unum cornu raptum sequuntur. Vita longissima anni x. in Æthiopiâ XIII. Capris eodem loco XI. in reliquo orbe plurimùm octoni. Utrumque genus intra quartum coitum impletur.

LXXVI. 50. Capræ pariunt et quaternos, sed rarò admodum. Ferunt quinque mensibus, ut oves. Capræ pinguitudine sterilesunt. Ante trimas minùs utiliter generant, et in senectâ, ultra quadriennium. — Concipiunt Novembri mense, ut Martio pariant turgescensibus virgultis, aliquando anniculæ, semper bimæ, in trimatu inutiles. Pariunt octonis annis. —

Solertiam ejus animalis Mutianus, visam sibi prodidit in ponte prætenui, duabus obviis e diverso: cùm circumactum angustiae non caperent, nec reciprocationem longitudo in exilitate cæca, torrente rapido minaciter subterfluente, alteram decubuisse, atque ita alteram proculcatae supergressam. Mares quàm maximè simos, longis auribus infractisque, armis quàm villosissimis probant. Feminarum generositatis insigne, laciniae corporibus a cervice binæ dependentes. Non omnibus cornua: sed quibus sunt, in his et indicia annorum per incrementa nodorum. ——— Dependet omnium mento villus, quem aruncum vocant: hoc si quis adprehensam ex grege unam trahat, cæteræ stupentes spectant. Id etiam evenire, cùm quamdam herbam aliqua ex eis momorderit. Morsus earum arbori exitialis. Olivam lambendo quoque sterilem faciunt, eaque ex causâ Minervæ non immolantur.

LXXVII. 51. Suilli pecoris ——— Partus bis anno: tempus utero quatuor mensium: numerus fecunditatis ad vicanos: sed educare tam multos nequeunt. ——— Comesse fetus his, non est prodigium. ——— In luto volutatio generi grata. Intorta cauda. ——— Animalium hoc maximè brutum, animamque ei pro sale datam non illepidè existimabatur. ———

Neque alio ex animali numerosior materia ganeæ: quinquaginta propè sapes, cùm ceteris singuli. Hinc censoriarum legum paginae, interdictaque cenis abdomina, glandia, sincipita verrina, ut tamen Publii mimorum poetæ cena, postquam servitutem exuerat, nulla memoretur sine abdomine, etiam vocabulo suminis ab eo imposito. ———

LXXIX. 53. ——— Capræ tamen in plurimas similitudines transfigurantur. Sunt capræ, sunt rupicapræ, sunt ibices pernicitatis mirandæ, quamquam onerato capite vastis cornibus gladiatorumque vaginis: in hæc se librant, ut tormento aliquo rotati in petras, potissimum e monte aliquo in alium transilire quærentes, atque recussu pernitiùs, quò libuerit, exultant. Sunt et oryges, soli quibusdam dicti contrario pilo vestiri, et ad caput verso. Sunt et damæ, et pygargi, et strepsice-

rotes, multaque alia haud dissimilia. Sed illa Alpes, hæc transmarini situs mittunt. ———

LXXXI. 55. Et leporum plura sunt genera: In Alpibus candidi, quibus hybernis mensibus pro cibatu nivem credunt esse: certè liquescente eâ rutescunt annis omnibus. Et est alioqui animal intolerandi rigoris alumnum. Leporum generis sunt et quos Hispania cuniculos appellat, fecunditatis innumeræ, famemque Balearibus insulis, populatis messibus afferentes. Fetus ventri exsectos, vel uberibus ablatos, non repurgatis interaneis, gratissimo in cibatu habent: laurices vocant. Certum est Balearicos adversùs proventum eorum auxilium militare a divo Augusto petiisse. Magna propter venatum eum viverris gratia est. Injiciunt eas in specus, qui sunt multifores in terrâ, unde et nomen animali: atque ita ejectos supernè capiunt. ——— Benigna circa hoc natura, innocua et esculenta animalia fecunda generavit. Lepus omnium prædæ nascens, solus præter dasypodem superfetat, aliud educans, aliud in utero pilis vestitum, aliud implume, aliud inchoatum gerens pariter. Nec non et vestes leporino pilo facere tentatum est, tactu non perinde molli, ut in cute, propter brevitatem pili dilabidas.

LXXXII. 56. Hi mansuescunt rarò, cùm feri dici jure non possint: complura namque sunt nec placida, nec fera, sed mediæ inter utrumque naturæ, ut in volucris, hirundines, apes; in mari, delphini. ———

---

## LIBER IX.

I. 1. Animalium, quæ terrestria appellavimus, hominum quadam consortione degentia, indicata natura est. Ex reliquis minimas esse volucres convenit. Quomobrem priùs æquorum, amnium, stagnorumque dicentur.

2. Sunt autem complura in iis, majora etiam terrestribus. ———

III. 4. Maximum animal in Indico mari pristis, et balæna est: in Gallico oceano physeter, ingentis colum-



næ modo se attollens, altiorque navium velis diluviem quamdam eructans. ———

V. 6. Balænæ et in nostra maria penetrant. In Gaditano oceano non ante brumam conspici eas tradunt, condi autem statis temporibus in quodam sinu placido et capaci, mirè gaudentes ibi parere. Hoc scire orcas, infestam his belluam, et cujus imago nullâ repræsentatione exprimi possit aliâ, quam cænis immensæ dentibus truculentæ. Irrumpunt ergo in secreta, ac vitulos earum aut fetus, vel etiamnum gravidas lancinant morsu, incursuque ceu Liburnicarum rostris fodiunt. Illæ ad flexum immobiles, ad repugnandum inertes, et pondere suo oneratæ, tunc quidem et utero graves, pariendive pœnis invalidæ, solum auxilium novere in altum profugere, et se toto defendere oceano. Contrà, orcæ occurrere laborant, seseque opponere, et caveatas angustiis trucidare, in vada urgere, saxis illidere. Spectantur ea prælia, ceu mari ipsi sibi irato, nullis in sinu ventis, fluctibus verò ad anhelitus ictusque, quantos nulli turbines volvunt. Orca et in portu Ostiensi visa est, opugnata a Claudio principe. Venerat tunc exædificante eo portum, invitata naufragiis tergorum advectorum e Galliâ, satiansque se per complures dies, alveum in vado sulcaverat, adtumulata fluctibus in tantum, ut circumagi nullo modo posset: et dum saginam persequitur, in litus fluctibus propulsa, emineret dorso multum supra aquas carinæ vice inversæ. Prætendi jussit Cæsar plagas multiplices inter ora portûs: profectusque ipse cum prætorianis cohortibus populo Romano spectaculum præbuit, lanceas congerente milite e navigiis assultantibus, quorum unum mergi vidimus, reflatu belluæ oppletum undâ. ———

VII. 8. Velocissimum omnium animalium, non solum marinorum, est delphinus, ocior volucre, acrior telo, ac nisi multum infra rostrum os illi foret, medio pæne in ventre, nullus piscium celeritatem ejus evaderet. Sed adfert moram providentia naturæ, quia nisi resupini atque conversi non corripiunt; quæ causa præcipuè velocitatem eorum ostendit. Nam cum fame conciti, fugientem in vada ima persecuti piscem, diutiùs spiritum

continuere, ut arcu emissi, ad respirandum emicant : tantâque vi exiliunt, ut plerumque vela navium transvolent. Vagantur ferè conjugia : pariunt catulos decimo mense, æstivo tempore, interim et binos : nutriunt uberibus, sicut balæna : atque etiam gestant fetus infantiâ infirmos. Quin et adultos diu comitantur, magnâ erga partum charitate. Adolescunt celeriter, decem annis putantur ad summam magnitudinem pervenire : vivunt et tricenis : quod cognitum præcisâ caudâ in experimentum. —

VIII. Delphinus non homini tantùm amicum animal, verùm et musicæ arti, mulcetur symphonix cantu, et præcipue hydraulici sono. Hominem non expavescit, ut alienum, obviam navigiis venit, adludit exsultans, certat etiam, et quamvis plena præterit vela. Divo Augusto principe, Lucrinum lacum invectus, pauperis cujusdam puerum, ex Baiano Puteolos in ludum literarium itantem, cùm meridianò immorans appellatum eum Simonis nomine, sæpius fragmentis panis, quem ob id ferebat, adlexisset, miro amore dilexit. Pigeret referre, ni res Mæcenatis et Fabiani, et Flavii Alfi, multorumque esset literis mandata. Quocumque diei tempore in clamatus a puero, quamvis occultus atque abditus, ex imo advolabat : pastusque e manu præbebat ascensuro dorsum, pinnæ aculeos velut vaginâ condens : receptumque Puteolos per magnum æquor in ludum ferebat, simili modo revehens pluribus annis : donec morbo extincto puero, subinde ad consuetum locum ventitans, tristis et mærenti similis, ipse quoque (quod nemo dubitaret) desiderio exspiravit. —

Eadem Amphilocho et Tarentini de pueris delphinisque narrant. Quæ faciunt, ut credatur Arionem quoque citharædicæ artis interficere nautis in mari parantibus, ad intercipiendos ejus quæstus, eblanditum, ut priùs caneret citharâ, congregatis cantu delphinis, cum se jecisset in mare, exceptum ab uno Tænarium in litus pervectum. —

XII. 10. Testudines tantæ magnitudinis Indicum mare emittit, ut singularum superficie habitabiles casas integant, atque insulas Rubri præcipuè maris his na-

vigent cymbis. Capiuntur multis quidem modis, sed maximè evectæ in summa pelagi antemeridiano tempore blandito, eminente toto dorso per tranquilla fluitantes: quæ voluptas libere spirandi, in tantum fallit oblitæ sui, ut Solis vapore siccato cortice, non queant mergi, invitæque fluitent, opportunæ venantium prædæ. Ferunt et pastum egressas noctu, avidæque saturatas lassari: atque ut remeaverint matutinò, summâ in aquâ obdormiscere: id prodi stertentium sonitu. Tum adnatare, leviterque, singulis ternos; a duobus in dorsum verti, à tertio laqueum injici supinæ, atque ita e terrâ a pluribus trahi. In Phœnicio mari haud ullâ difficultate capiuntur, utroque veniunt stato tempore anni in amnem Eletherum effusâ multitudine. Dentes non sunt testudini, sed rostri margines acuti, supernâ parte inferiorem claudente pyxidum modo. In mari conchyliis vivunt, tantâ oris durtiâ, ut lapides comminuant: in terram egressæ, herbis. Pariunt ova, avium ovis similia, ad centena numero: eaque defossa extra aquas, et cooperta terrâ, ac pavita pectore et complanata, incubant noctibus. Educunt fetus annuo spatio. — Sunt et terrestres, quæ ob id in operibus Chersinæ vocantur, in Africæ desertis, quâ parte maximè sitientibus arenis squalent, roscido, ut creditur, humore viventes. Neque aliud ibi animal provenit.

XIII. 11. Testudinum putamina secare in laminas, lectosque et repositoria his vestire, Carvilius Pollio instituit, prodigi et sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenii.

XIV. 12. Aquatilium tegumenta plura sunt. Alia corio et pilis integuntur, ut vituli, et hippopotami. Alia corio tantum ut delphini: cortice, ut testudines: silicium durtiâ, ut ostreæ et conchæ: crustis, ut locustæ: crustis et spinis, ut echini: squamis, ut pisces: asperâ cute, ut squatina, quâ lignum et ebora poliuntur: molli, ut murænæ: alia nullâ, ut polypi.

XV. 13. Quæ pilo vestiuntur, animal pariunt, ut pristis, balæna, vitulus. Hic parit in terrâ. — Nonnumquam geminis plures: educat mammis fetum. Non ante duodecimum diem deducit in mare, ex eo subindè

**assuefaciens.** Interficiuntur difficulter nisi capite eliso. **Ipsis** in sono mugitus: unde nomen vituli. **Accipiunt tamen disciplinam,** voceque pariter et visu populum salutant: incondito fremitu, nomine vocati, respondent. **Nullum animal** graviore somno premitur. **Pinnis,** quibus in mari utuntur, humi quoque vice pedum serpunt. —

**XVII. 15.** Præcipuâ magnitudine thynni: invenimus talenta quindecim pependisse. Ejusdem caudæ latitudinem duo cubita et palmum. Sunt et in quibusdam annibus haud minores: silurus in Nilo, esox in Rheno, attilus in Pado, inertîâ pinguescens, ad mille aliquando libras, catenato captus hamo, nec nisi boum jugis extractus. Atqui hunc minimus piscis, appellatus clupea, venam quamdam ejus in faucibus mirâ cupidine appetens, morsu exanimat. Silurus grassatur, ubicumque est, omne animal appetens, equos natantes sæpe demergens. Præcipuè in Mœno Germaniæ amne protelis boum et in Danubio marris extrahitur, porculo marino simillimus: et in Borysthene memoratur præcipua magnitudo, nullis ossibus spinisve intersitis, carne prædulci. —

**XVIII.** — Intran e magno mari Pontum verno tempore gregatim, nec alibi fetificant. Cordylla appellantur partus, qui fetas redeuntes in mare autumno comitantur: Limosæ verò, aut e luto pelamides incipiunt vocari: et cùm annum excessere tempus, thynni. —

**XX.** — Est in Euripo Thracii Bospori, quo Propontis Euxino jungitur, in ipsis Europam Asiâque separantis freti angustiis, saxum miri candoris, a vado ad summa perlucens, juxta Calchedonem in latere Asiæ. Hujus aspectu repentiè territi, semper adversum Byzantii promontorium, ex eâ causâ appellatum aurei cornûs, præcipiti petunt agmine. Itaque omnis captura Byzantii est, magnâ Calchedonis penuriâ mille passibus medii interfluentis Euripi. Opperiuntur autem aquilonis flatum, ut secundo fluctu exeant e Ponto, nec nisi intrantes Pontum Byzantium capiuntur. Brumâ non vagantur: ubicumque deprehensi, usque ad

æquinoctium, ibi hybernant. ——— Thynnorum captura est a Vergiliarum exortu ad Arcturi occasum: reliquo tempore hyberno latent in gurgitibus imis, nisi tepore aliquo evocati, aut pleniluniis. Pinguescunt et in tantum, ut dehiscant. Vita longissima his bienio. ———

XXX. ——— Nobilitate, et gratia maxima est et copia mullis, sicut magnitudo modica: binasque libras ponderis rarò admodum exsuperant, nec in vivariis piscinisque crescunt. Septentrionalis tantùm hos, et proximâ occidentis parte gignit oceanus. Ceterò eorum genera plura. Nam et algâ vescuntur, et ostreis, et limo, et aliorum piscium carne: barbâ geminâ insigniuntur inferiori labro. Lutarium ex iis vilissimi generis appellant. Hunc semper comitatur sargus nomine alius piscis, et cœnum fodiente eo, excitatum devorat pabulum. Nec litoralibus gratia. Laudatissimi conchylium sapiunt. Nomen his Fenestella a colore mulleorum calciamentorum datum putat. Pariunt ter anno. His certè toties fetura apparet. Mullum exspirantem versicolori quadam et numerosâ varietate spectari, proceres gulæ narrant, rubentium squamarum multiplici mutatione pallescentem, utique si vitro spectetur inclusus. M. Apicius ad omne luxûs ingenium mirus, in sociorum garo (nam ea quoque res cognomen invenit) necari eos præcellens putavit, atque e jecore eorum alecem excogitare provocavit: id enim est facilius dixisse, quàm quis vicerit.

XXXI. Asinius Celer e consularibus, hoc pisce prodigus, Caio principe unum mercatus octo millibus nummûm: quæ reputatio aufert transversum animum ad contemplationem eorum, qui in conquestione luxûs coquos emi singulos pluris quàm equos quiritabant. At nunc coci triumphorum pretiis parantur, et coquorum pisces. Nullusque propè jam mortalis æstimatur pluris, quàm qui peritissimè censum domini mergit.

18. Mullum LXXX. librarum in mari rubro captum Licinius Mutianus prodidit. Quanti mercatura eum luxuria, suburbanis litoribus inventum? ———

XXXVI. 20. Marinorum alii sunt plani, ut rhombi,

soleæ, ac passerres, qui à rhombis situ tantùm corporum differunt. Dexter resupinatus est illis, passeri lævus. Alii longi, ut murena, conger. —

XL. 24. Planorum piscium alterum est genus, quod pro spinâ cartilagineam habet, ut raiæ, pastinacæ, squatinæ, torpedo: et quos bovis, lamia, aquilæ, ranæ nominibus Græci appellant. Quo in numero sunt squali quoque, quamvis non plani. Hæc Græcè in universum *σελάχη* appellavit Aristoteles primus, hoc nomine eis imposito: nos distinguere non possumus, nisi cartilaginea appellare libeat. —

XLVII. Inter præcipua autem miracula est, qui vocatur nautilus, ab aliis pompilos. Supinus in summa æquorum pervenit, ita se paulatim subrigens, ut emissâ omni per fistulam aquâ, velut exoneratus sentinâ, facilè naviget. Postea prima duo brachia retorquens, membranam inter illa miræ tenuitatis extendit. Quâ velificante in aurâ, ceteris subremigans brachiis, mediâ caudâ, ut gubernaculo, se regit. Ita vadit alto, Liburnicarum ludens imagine, et, si quid pavoris interveniat, haustâ se mergens aquâ. —

XLIX. Navigeram similitudinem et aliam in Propontide visam sibi prodidit Mutianus: concham esse acatii modo carinatum, inflexâ puppe, prorâ rostratâ: in hac condi nauplium, animal sepiæ simile, ludendi societate solâ. Duobus hoc fieri generibus: Tranquillo enim vectorem demissis palmulis ferire, ut remis. Si verò flatus invitet, easdem in usu gubernaculi porrigi, pandique buccarum sinus auræ. Hujus voluptatem esse, ut ferat: illius, ut regat: simulque eam descendere in duo sensu carentia: nisi fortè tristi (id enim constat) omine navigantium, humana calamitas in causâ est.

L. Locustæ crustâ fragili muniuntur, in eo genere, quod caret sanguine. Latent mensibus quinibus. Similiter cancri qui eodem tempore occultantur, et ambo veris principio senectutem anguium more exuunt renovatione tergorum. Cætera in undis natant: locustæ reptantium modo fluitant: si nullus ingruat metus, recto meatu: cornibus, quæ sunt propriâ rotunditate

præpilata, ad latera porrectis: iisdem erectis in pavore obliquè in latera procedunt. Cornibus inter se dimicant. Unum hoc animalium, nisi vivum ferventi aquâ incoquatur, fluidâ carne non habet callum. —

LI. — Cancris vita longa, pedes octoni, omnes in obliquum flexi. Feminae primus pes duplex, mari simplex. Præterea bina brachia denticulatis forcipibus. Superior pars in primoribus his movetur: inferiore immobili. Dextrum brachium omnibus majus.

Pinnotheres autem vocatur minimus ex omni genere, ideo opportunus injuriæ. Huic solertia est inaniam ostrearum testis se condere: et cùm accreverit, migrare in capaciores.

Cancris in pavore etiam retrorsum pari velocitate redeunt. Dimicant inter se, ut arietes, adversis cornibus incursantes. —

LIII. 34. Sed quid hæc tam parva commemoro, cùm populatio morum atque luxuria non aliunde major, quàm e concharum genere proveniat? Jam quidem ex totâ rerum naturâ damnosissimum ventri mare est, tot modis, tot mensis, tot piscium saporibus, quibus pretia capientium periculo fiunt.

35. Sed quota hæc portio est reputantibus purpuras, conchylia, margaritas? Parum scilicet fuerat in gulas condi maria, nisi manibus, auribus, capite totoque corpore a feminis juxtâ virisque gestarentur. Quid mari cum vestibus? Quid undis fluctibusque cum vellere? Non rectè recipit hæc nos rerum natura, nisi nudos. Esto, sit tanta ventri cum eo societas, quid tergori? Parum est, nisi qui vescimur periculis, etiam vestiamur: adeò per totum corpus, animâ hominis quæsita maximè placent.

LIV. Principium ergo culmenque omnium rerum pretii, margaritæ tenent. Indicus maximè has mittit oceanus, inter illas belluas tales tantasque, quas diximus, per tot maria venientes, tam longo terrarum tractu, è tantis solis ardoribus: atque Indis quoque in insulas petuntur, et admodum paucas. Fertilissima est Taprobane et Stoidis, ut diximus in circuitu mundi:

item Perimula promontorium Indiæ. Præcipuè autem laudantur circa Arabiam in Persico sinu maris rubri.

LVI. — Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere, haud promptis rebus, in tantum ut nulli duo reperiantur indiscreti: unde nomen unionum Romanæ scilicet imposuere deliciæ. Nam id apud Græcos non est, ne apud Barbaros quidem inventores ejus aliud, quàm margaritæ. Et in candore ipso magna differentia. Clarior in rubro mari repertis. Indicos specularium lapidum squama adsimulat, aliàs magnitudine præcellentes. Summa laus coloris est exaluminatos vocari. Et procerioribus sua gratia est, elenchos appellant fastigatâ longitudine, alabastrorum figurâ in pleniorum orbem desinentes. Hos digitis suspendere, et binos ac ternos auribus, feminarum gloria est. Subeunt luxuriæ ejus nomina, et tædia exquisita perditio nepotatu: siquidem cùm id fecere, crotalia appellant, ceu sono quoque gaudeant, et collisu ipso margaritarum. Cupiuntque jam et pauperes, “lictorem feminæ in publico unionem esse” dictitantes. Quin et pedibus, nec crepidarum tantum obstragulis, sed totis socculis addunt. Neque enim gestare jam margaritas, nisi calcent, ac per uniones etiam ambulent, satis est.

In nostro mari reperiri solebant, crebriùs circa Bosphorum Thracium, rufi ac parvi in conchis, quas myas appellant. At in Acarnaniâ, quæ vocatur pinna gignit. Quo apparet non uno conchæ genere nasci. Namque et Juba tradit, Arabicis concham esse similem pectini insecto, hirsutam echinorum modo, ipsum unionem in carne, grandini similem. Conchæ non tales ad nos afferuntur. Nec in Acarnaniâ autem laudati reperiuntur, enormes, et feri, colorisque marmorei. Meliores circa Actium, sed et hi parvi: et in Mauritanîæ maritimis. Alexander Polyhistor et Sudines senescere eos putant, coloremque exspirare.

LVII. Eorum corpus solidum esse manifestum est, quod nullo lapsu franguntur. Non autem semper in mediâ carne reperiuntur, sed aliis atque aliis locis. Vidimusque jam in extremis etiam marginibus velut



conchâ exeuntes : et in quibusdam quaternos qui nosque. Pondus ad hoc ævi semunciæ pauci singulis scrupulis excessere. In Britannîâ parvos atque decolores nasci certum est : quoniam divus Julius thoracem, quem Veneri Genitrici in templo ejus dicavit, ex Britannicis margaritis factum voluerit intelligi.

Lolliam Paulinam, quæ fuit Caii principis matrona, ne serio quidem aut solemnî cæremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cenâ, vidi smaragdis margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spirâ, auribus, collo, monilibus, digitisque : quæ summa quadringenties sestertium colligebat : ipsa confestim parata mancipationem tabulis probare. Nec dona prodigi principis fuerant, sed avitæ opes, provinciarum scilicet spoliis partæ. Hic est rapinarum exitus : hoc fuit quare M. Lollius infamatus regum muneribus in toto oriente, interdicitâ amicitia a Caio Cæsare Augusti filio, venenum biberet, ut neptis ejus quadringenties sestertio operta spectaretur ad lucernas. Computet nunc aliquis ex alterâ parte, quantum Curius aut Fabricius in triumphis tulerint : imaginetur illorum fercula, et ex alterâ parte Lolliam, unam imperii mulierculam accubantem : non illos curru detractos, quàm in hoc vicisse malit ?

Nec hæc summa luxuriæ exempla sunt : Duo fuere maximi uniones per omne ævum, utrumque possedit Cleopatra, Ægypti reginaram novissima, per manus Orientis regum sibi traditos. Hæc, cùm exquisitis quotidie Antonius saginaretur epulis, superbo simul ac procaci fastu, ut regina meretrix, lautitiem ejus omnem apparatusque obtrectans, quærente eo quid adstrui magnificentiæ possit, respondit, “ unâ se cenâ centies sestertium absumpturam.” Cupiebat discere Antonius, sed fieri posse non arbitrabatur. Ergo sponsionibus factis, postero die quo judicium agebatur, magnificam aliàs cenam, ne dies periret, sed quotidianam Antonio apposuit, irridenti, computationemque exposulanti. At illa corollarium id esse, et consumpturam eam cenam taxationem confirmans, solamque se centies sestertium cenaturam, inferri mensam secundam jussit.

Ex præcepto ministri unum tantum vas ante eam posuere aceti, cujus asperitas visque in tabem margaritas resolvit. Gerebat auribus cum maximè singulare illud, et verè unicum naturæ opus. Itaque exspectante Antonio quidnam esset actura, detractum alterum mersit, ac liquefactum obsorbuit. Injecit alteri manum L. Plancus, judex sponsionis ejus, eum quoque paranti simili modo absumere, victumque Antonium pronunciavit, omine rato. Comitatur fama unionis ejus parem, captâ illâ tantæ questionis victrice reginâ dissectum, ut esset in utrisque Veneris auribus Romæ in Pantheo dimidia eorum cena.

LIX. Non ferent tamen hanc palmam, spoliabunturque etiam luxuriæ gloriâ. Prior id fecerat Romæ in unionibus magnæ taxationis Clodius tragædi Æsopi filius, relictus ab eo in amplis opibus hæres, ne triumviratu suo nimis superbiat Antonius, pæne histrioni comparatus: et quidem nullâ sponsione ad hoc producto, quò magis regium fiat: sed ut experiretur in gloriâ palati, quid saperent margaritæ: atque ut mirè placuere, ne solus hoc sciret, singulos uniones convivis quoque absorbendos dedit. Romæ in promiscuum ac frequentem usum venisse, Alexandriâ in ditionem redactâ: primùm autem cœpisse circa Sullana tempora minutas et viles Fenestella tradit manifesto errore, cum Ælius Stilo Jugurthino bello unionem nomen impositum maximè grandibus margaritis prodat.

LX. Et hoc tamen æternæ propè possessionis est: sequitur hæredem, in mancipatum venit, ut prædium aliquod. Conchyliâ et purpuras omnis hora atterit, quibus eadem mater luxuria paria pene etiam margaritis pretia fecit.

36. Purpuræ vivunt annis plurimùm septenis. Latent, sicut murices, circa Canis ortum tricenis diebus. Congregantur verno tempore; mutuoque attritu lentorem cujusdam ceræ salivant. Simili modo et murices. Sed purpuræ florem illum tinguendis expetitur vestibus, in mediis habent faucibus. Liqueoris hic minimi est in candidâ venâ, unde pretiosus ille bibitur nigrantis rosæ colore sublucens. Reliquum corpus

sterile. Vivas capere contendunt, quia cum vitâ succum eum evomunt. Et majoribus quidem purpuris detractâ conchâ auferunt: minores cum testâ vivas frangunt, ita demum rorem eum exspuentes.

Tyri præcipuus hic Asiæ: in Meninge, Africæ, et Gætulo litore oceani: in Laconicâ Europæ. Huic fasces securesque Romanæ viam faciunt: idemque pro majestate pueritiæ est. Distinguit ab equite curiam: diis advocatur placandis, omnemque vestem illuminat: in triumphali miscetur auro. Quapropter excusata et purpuræ sit insania. —

LXIII. 39. Purpuræ usum Romæ semper fuisse video, sed Romulo in trabeâ. Nam togâ prætextâ, et latiore clavo Tullum Hostilium e regibus primum usum, Etruscis devictis, satis constat. Nepos Cornelius, qui divi Augusti principatu obiit: “Me, inquit, juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venebat: nec multo pòst rubra Tarentina. Huic successit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. Hac P. Lentulus Spinther ædilis curulis primus in prætextâ usus improbabatur: quâ purpurâ quis non jam, inquit, triclinaria facit?” Spinther ædilis fuit Urbis conditæ anno DCXCI. Cicerone consule. Dibapha tunc dicebatur, quæ bis tinctorum esset, veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes pæne commodiores purpuræ tinguuntur. —

LXVI. 42. Concharum generis et pinna est. Nascitur in limosis subrecta semper, nec umquam sine comite, quem pinnoterem vocant, alii pinnophylacem. Is est squilla parva: alibi cancer dapis adsector. Pandit se pinna, luminibus orbum corpus intus minutis piscibus præbens. Assultant illi protinus, et ubi licentiâ audacia crevit, implent eam. Hoc tempus speculatus index, morsu levi significat. Illa compressu, quidquid inclusit, exanimat, partemque socio tribuit.

LXVII. Quò magis miror, quosdam existimasse, aquatilibus nullum inesse sensum. Novit torpedo vim suam, ipsa non torpens: mersaque in limo se occultat, piscium qui securi supernatantes obtorpuere corripiens. Hujus jecori teneritas nulla præfertur. Nec minor

solertia ranæ, quæ in mari piscatrix vocatur. Eminentia sub oculis cornicula turbato limo exserit, assultantes pisciculos pertrahens, donec tam propè accedant, ut assiliat. Simili modo squatina, et rhombus, abditas pinas exsertas movent specie vermiculorum: itemque quæ vocantur raia. Nam pastinaca latrocinatur ex occulto, transeuntes radio (quod telum est ei) figens. Argumenta solertiæ hujus, quod tardissimi piscium hi, mugilem velocissimum omnium habentes in ventre reperiuntur. —

LXVIII. 45. Equidem et his inesse sensum arbitror, quæ neque animalium, neque fruticum, sed tertiam quandam ex utroque naturam habent: urticis dico, et spongiis. Urticæ noctu vagantur, noctuque mutant. Carnosæ frondis his natura: et carne vescuntur. Vis pruritu mordax, eademque quæ terrestris urticæ. Contrahit ergo se quàm maximè rigens, ac prænatante pisciculo frondem suam spargit, cõplectensque devorat. Aliàs marcenti similis, et jactari se passa fluctu algæ vice, contactos pisces, attrituque petrae scalpentes pruritu, invadit. Eadem noctu pectines et echinos perquirat: dum admoveri sibi manum sentit, colorem mutat et contrahitur. Tacta uredinem mittit, paulumque si fuit intervalli, absconditur. Ora ei in radice esse traduntur, excrementa per summa tenui fistulâ reddi.

LXIX. Spongiarum tria genera accepimus: spissum ac prædurum et asperum, tragos id vocatur: spissum et mollius, manon: tenue densumque, ex quo penicilli, Achilleum. Nascuntur omnes in petris: aluntur conchis, pisce, limo. Intellectum inesse his apparet, quia ubi avulsorem sensere, contractæ multò difficiliùs abstrahuntur. Hoc idem fluctu pulsante faciunt. Vivere escâ, manifestò conchæ minutæ in his repertæ ostendunt. Circa Toronem vesci illis avulsas etiam aiunt, et ex relictis radicibus recrescere. In petris cruoris quoque inhæret color, Africis præcipuè quæ generantur in Syrtibus. Maximæ fiunt manæ, sed mollissimæ, circa Lyciam. In profundo autem, nec ventoso, molliores. In Hellesponto asperæ, et densæ circa Maleam. Pu-

trescunt in apricis locis: ideo optimæ in gurgitibus. Viventibus idem, qui madentibus, nigricans color. Adhærent nec parte, nec totæ: intersunt enim fistulæ quædam inanes, quaternæ fere aut quinæ, per quas pasci existimantur. Sunt et aliæ, sed supernè concretæ. Et subesse membrana quædam radicibus earum intelligitur. Vivere constat longo tempore. Pessimum omnium genus est earum, quæ aplysiæ vocantur, quia elui non pòssunt, in quibus magnæ sunt fistulæ, et reliqua densitas spissa. —

LXXIX. 54. Ostrearum vivaria primus omnium Sergius Orata invenit in Baiano, ætate L. Crassi oratoris, ante Marsicum bellum: nec gulæ causâ, sed avaritiæ; magna vectigalia tali ex ingenio suo percipiens, ut qui primus pensiles invenerit balineas, ita mangonizatas villas subinde vendendo. Is primus optimum saporem ostreis Lucrinis adjudicavit, quando eadem aquatilium genera aliubi atque aliubi meliora; sicut lupi pisces in Tiberi amne inter duos pontes, rhombus Ravennæ, muræna in Siciliâ, elops Rhodi: et alia genera similiter, ne culinarum censura peragatur. Nondum Britannica serviebant litora, cùm Orata Lucrina nobilitabat: postea visum tanti in extremam Italiam petere Brundisium ostreas: ac ne lis esset inter duos sapes, nuper excogitatum, famem longæ advectionis a Brundisio compascere in Lucrino.

LXXX. Eadem ætate prior Licinius Muræna, reliquorum piscium vivaria invenit: cujus deinde exemplum nobilitas secuta est, Philippi, Hortensii: Lucullus exciso etiam monte juxta Neapolim majore impendio, quàm villam exædificaverat, euripum et maria admisit: quâ de causâ Magnus Pompeius Xerxen togatum eum appellabat. Quadragies H—s. piscinæ a defuncto illo venire pisces.

LXXXI. 55. Murænarum vivarium privatim excogitavit C. Hirrius ante alios, qui cenis triumphalibus Cæsaris dictatoris, sex millia numero murænarum mutua appendit. Nam permutare quidem pretio noluit, aliâve merce. Hujus villam intra quàm modicum quadragies piscinæ vendiderunt. Invasit deinde singulorum pis-

cium amor. Apud Baulos in parte Baianâ piscinam habuit Hortensius orator, in quâ murænam adeo dilexit, ut exanimatam flesse credatur. In eâdem villâ, Antonia Drusi, murænæ, quam diligebat, inaures addidit: cujus propter famam nonnulli Baulos videre concupiverunt.

LXXXII. 56. Cochlearum vivaria instituit Fulvius Hirpinus in Tarquiniensi, paulo ante civile bellum, quod cum Pompeio Magno gestum est, distinctis quidem generibus earum, separatim ut essent albæ, quæ in Reatino agro nascuntur: separatim Illyricæ, quibus magnitudo præcipua: Africanæ, quibus fecunditas: Solitanæ, quibus nobilitas. Quin et saginam earum commentus est, sapâ et farre, aliisque generibus, ut cochleæ quoque a tiles ganeam impleant: cujus artis gloria in eam magnitudinem perducta sit, ut octoginta quadrantes capeant singularum calices. Auctor est M. Varro. —

---

## LIBER X.

I. 1. Sequitur natura avium, quarum grandissimi et pæne bestiarum generis, struthiocameli Africi vel Æthiopici, altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritatem vincunt: ad hoc demum datis pennis, ut currentem adjuvent: ceterò non sunt volucres, nec a terrâ tolluntur. Ungulæ iis cervinis similes, quibus dimicant, bisulcæ, et comprehendendis lapidibus utiles, quos in fugâ contra sequentes ingerunt pedibus. Concoquendi sine delectu devorata mira natura; sed non minùs stoliditas, in tantâ reliqui corporis altitudine, cum colla frutice occultaverunt, latere sese existimantium. Præmia ex iis ova, propter amplitudinem pro quibusdam habita vasis; conosque bellicos, et galeas adornantes pennæ.

II. 2. Æthiopes atque Indi, discolores maximè et inenarrabiles ferunt aves, et ante omnes nobilem Arabia phœnicem, haud scio an fabulosè, unum in toto orbe, nec visum magnopere. Aquilæ narratur magnitudine,

auri fulgore circa colla, ceterò purpureus, cæruleam roseis caudam pennis distinguentibus, cristis fauces, caputque plumeo apice honestante. Primus atque diligentissimus togatorum de eo prodidit Manilius, senator ille maximis nobilis doctrinis doctore nullo: neminem exstitisse qui viderit vescentem: sacrum in Arabiâ Soli esse, vivere annis quingentis sexaginta, senescentem casiaë thurisque surculis construere nidum, replere odoribus, et superemori. Ex ossibus deinde et medullis ejus nasci primò ceu vermiculum: inde fieri pullum: principioque justa funera priori reddere, et totum deferre nidum prope Panchaiam in Solis urbem, et in arâ ibi deponere. Cum hujus alitis vitâ magni conversionem anni fieri prodidit idem Manilius ——— sed quem falsum esse nemo dubitaret.

III. 3. Ex his quas novimus, aquilæ maximus honos, maxima et vis. Sex earum genera: Melanaetos a Græcis dicta, eademque Valeria, minima magnitudine, viribus præcipua, colore nigricans: sola aquilarum fetus suos alit: ceteræ, ut dicemus, fugant: sola sine clangore, sine murmuratione. Conversatur autem in montibus. Secundi generis pygargus, in oppidis mansitat et in campis, albicante caudâ. Tertii morphnos, quam Homerus et percnon vocat, aliqui et clangam, et anatariam, secunda magnitudine et vi: huicque vita circa lacus. ——— Ingenium est ei, testudines raptas frangere e sublimi jaciendo: quæ sors interemit poetam Æschylum, prædictam fati (ut ferunt), ejus diei ruinam, securâ cæli fide caventem. Quarti generis est percnopterus: eadem oripelargus, vulturinâ specie, alis minimis, reliquâ magnitudine antecellens, sed imbellis et degener, ut quam verberet corvus. Eadem jejunæ semper aviditatis, et querulæ murmurationis. Sola aquilarum exanima fert corpora: ceteræ, cùm occidêre, considunt. Hæc facit, ut quintum genus γνήσιον vocetur, velut verum, solumque incorruptæ originis, mediâ magnitudine, colore subbrutilo, rarum conspectu. Superest haliaetos, clarissimâ oculorum acie, librans ex alto sese: visoque in mari pisce, præceps in eum ruens, et discussis pectore aquis rapiens. Illa, quam tertiam

fecimus, circa stagna aquaticas aves adpetit mergentes se subinde, donec sopitas lassatasque rapiat. Spectanda dimicatio, ave ad perfugia litorum tendente, maximè si condensa arundo sit: aquilâ inde ictu abigente alæ, et cùm adpetit, in lacus cadente: umbramque suam nanti sub aquâ a litore ostendente: rursus ave in diverso, et ubi minimè se credat exspectari, emergente. Hæc causa gregatim avibus natandi, quia plures simul non infestantur, respersu pennarum hostem obcæcantes. Sæpe et aquilæ ipsæ non tolerantès pondus adprehensum, unâ merguntur. Haliaëtus tantùm implumes etiamnum pullos suos percutiens, subinde cogit adversos intueri Solis radios, et si conniventem humectantemque animadvertit, præcipitat e nido, velut adulterinum atque degenerem: illum cujus acies firma contrâ stetit educat. —

IV. Tribus primis, et quinto aquilarum generi inædificatur nido lapis aetites, quem aliqui dixere gangitem: ad multa remedia utilis, nihil igne deperdens. Est autem lapis iste prægnans, intus, cùm quatias, alio velut in utero sonante. Sed vis illa medica non nisi nido direptis. —

V. 4. Romanis eam legionibus C. Marius in secundo consulatu suo propriè dicavit. Erat et antea prima cum quatuor aliis: lupi, minotauri, equi aprique singulos ordines anteibant. Paucis antè annis sola in aciem portari cœpta erat: reliqua in castris relinquebantur. Marius in totum ea abdicavit. Ex eo notatum, non fere legionis umquam hiberna esse castra, ubi aquilarum non sit jugum.

Primo et secundo generi non minorum tantùm quadrupedum rapina, sed etiam cum cervis prælia. Multum pulverem volutatu collectum, insidens cornibus excutit in oculos, pennis ora verberans, donec præcipitet in rupes. Nec unus hostis illi satis est: acrior est cùm dracone pugna, multoque magis anceps, etiamsi in aere. Ova hic consecatur aquilæ aviditate maleficâ: at illa ob hoc rapit ubicumque visum. Ille multiplici nexu alas ligat, ita se implicans, ut simul decidat. —

VII. 6. Vulturum prævalent nigri. Nidos nemo



attigit : ideo etiam fuere, qui putarent illos ex adverso orbe advolare, falso : nidificant enim in excelsissimis rupibus. Fetus quidem sæpe cernuntur, fere bini. —

IX. 8. Accipitrum genera sedecim invenimus. — Distinctio generum ex aviditate. Alii non nisi ex terrâ rapiunt avem : alii non nisi circa arbores volitantem : alii sedentem in sublimi : aliqui volantem in aperto. Itaque et columbæ novere ex iis pericula, visoque considunt, vel subvolant, contra naturam ejus auxiliantes sibi. —

X. In Thraciæ parte super Amphipolim homines atque accipitres societate quadam aucupantur. Hi ex silvis et arundinetis excitant aves : illi supervolantes deprimunt. Rursus captas aucupes dividunt cum iis. Traditum est, missas in sublime sibi excipere eos : et cum tempus sit capturæ, clangore ac volatûs genere invitare ad occasionem. —

XI. 9. Coccyx — procedit vere, occultatur Caniculæ ortu : semperque parit in alienis nidis, maximè palumbium, majori ex parte singula ova, quod nulla alia avis : raro bina. Causa subjiciendi pullos putatur, quòd sciat se invisam cunctis avibus, nam minutas quoque infestant : ita non fore tutam generi suo stirpem opinatur, ni fefellerit : quare nullum facit nidum, alioqui trepidum animal. Educat ergo subditum adulterato feta nido. Ille avidus ex naturâ, præripit cibos reliquis pullis, itaque pinguescit, et nitidus in se nutricem convertit : illa gaudet ejus specie, miraturque sese ipsam, quòd talem pepererit : suos comparatione ejus damnat, ut alienos, absumique etiam se inspectante patitur, donec corripiat ipsam quoque jam volandi potens. Nulla tunc avium suavitate carnis comparatur illi. —

XIII. 11. Volucrum prima distinctio pedibus maximè constat. Aut enim aduncos ungues habent, aut digitos, aut palmipedum in genere sunt, uti anseres, et aquaticæ fere aves. Aduncos ungues habentia, carne tantum vescuntur ex parte magnâ. —

XVI. Uncos ungues et nocturnæ aves habent, ut noctuæ, bubo, ululæ. Omnium horum hebetes interdium oculi. Bubo funebris, et maximè abominatus, publicis

præcipuè auspiciis, deserta incolit: nec tantùm desolata, sed dira, etiam et inaccessa: noctis monstrum, nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu. ———

XIX. 17. Noctuarum contra aves solers dimicatio. Majore circumdatæ multitudine, resupinæ pedibus repugnant, collectæque in arctum, rostro et unguibus totæ teguntur. Auxiliatur accipiter collegio quodam naturæ, bellumque partitur. ———

XX. 18. Sunt et parvæ aves uncorum unguium, ut pici: Martio cognomine insignes, et in auspiciis magni. Quo in genere arborum cavatores scandentes in subreptum felium modo: illi verò et supini, percussi corticis sono, pabulum subesse intelligunt. Pullos in cavis educant avium soli. ———

XXII. 20. Nunc de secundo genere dicamus, quod in duas dividitur species, oscines, et alites: illarum generi cantus oris, his magnitudo differentiam dedit: itaque præcedent et ordine: omnesque reliquas in his pavonum genus, cùm formâ, tum intellectu ejus et gloriâ.

Gemmantes laudatus expandit colores, adverso maximè Sole, quia sic fulgentiùs radiant. Simul umbræ quosdam repercussus ceteris, qui et in opaco clariùs micant, conchatâ quærit caudâ: omnesque in acervum contrahit pennarum, quos spectari gaudet, oculos. Idem caudâ annuis vicibus amissâ cum foliis arborum, donec renascatur iterum cum flore, pudibundus ac mœrens quærit latebram. Vivit annis xxv. Colores incipit fundere in trimatu.

XXIII. Pavonem cibi gratiâ Romæ primus occidit orator Hortensius, aditali cenâ sacerdotii. Saginare primus instituit circa novissimum piraticum bellum M. Aufidius Lurco, exque eo quæstu reditûs sestertiûm sexagena millia habuit.

XXIV. 21. Proximè gloriam sentiunt et hi nostri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque somno natura genuit. Norunt sidera, et ternas distinguunt horas interdiu cantu. Cum Sole eunt cubitum, quartâque castrensi vigiliâ ad curas laboremque revocant. Nec Solis ortum incautis patiun-

tur obrepere, diemque venientem nuntiant cantu, ipsum verò cantum plausu laterum. Imperitant suo generi, et regnum in quacumque sunt domo exercent. Dimicatione paritur hoc quoque inter ipsos, velut ideo tela agnata cruribus suis intelligentes: nec finis sæpe commorientibus. Quòd si palma contingit, statim in victoriâ canunt, seque ipsi principes testantur. Victus occultatur silens, ægreque servitium patitur. Et plebs tamen æquè superba, graditur arduâ cervice, cristis celsâ: cælumque sola volucrum aspicit crebrò, in sublime caudam quoque falcatam erigens: itaque terrori sunt etiam leonibus ferarum generosissimis. Jam ex his quidam ad bella tantùm et proelia assidua nascuntur; quibus, etiam patrias nobilitarunt, Rhodum, ac Tanagram. Secundus est honos habitus Melicis, et Chalcidicis, ut planè dignæ aliti tantùm honoris præbeat Romana purpura. Horum sunt tripudia solistima. Hi magistratus nostros quotidie regunt, domosque ipsis suas claudunt aut reserant: hi fasces Romanos impellunt aut retinent, jubent acies aut prohibent, victoriarum omnium toto orbe partarum auspices. —

XXVI. 22. Et anseri vigil cura, Capitolio testata defenso, per id tempus canum silentio proditis rebus. Quam ob causam cibaria anserum censores in primis locant. —

XXVII. Nostri — eos jecoris bonitate novere. Fartilibus in magnam amplitudinem crescit; exemptum quoque lacte mulso augetur. Nec sine causâ in quæstione est, quis primus tantum bonum invenerit, Scipione Metellus vir consularis, an M. Seius eadem ætate eques Rom. Sed (quod constat) Messalinus Cotta, Messalæ oratoris filius, palmas pedum ex his torrere, atque patinis cum gallinaceorum cristis condire reperit. Tribuetur enim a me culinibus cujusque palma cum fide. Mirum in hac alite, a Morinis usque Romanam pedibus venire. Fessi proferuntur ad primos: ita ceteri stipatione naturali propellunt eos. Candidorum alterum vectigal in plumâ. Velluntur quibusdam locis bis anno. Rursus plumigeri vestiuntur: mollior quæ corpori proxima: et e Germaniâ laudatis-

sima. Candidi ibi, verùm minores, gantæ vocantur. Pretium plumæ eorum, in libras denarii quini. Et inde crimina plerumque auxiliorum præfectis, a vigili statione ad hæc aucupia dimissis cohortibus totis. Eóque deliciæ processere, ut sine hoc instrumento durare jam ne virorum quidem cervices possint. —

XXIX. Anserini generis sunt chenalopeces: et quibus lautiores epulas non novit Britannia, chenerotes, fere ansere minores. Decet tetraonas suos nitor, absolutaque nigritia, in superciliis cocci rubor. Alterum eorum genus vulturum magnitudinem excedit, quorum et colorem reddit. Nec ulla ales, excepto struthiocamelo, majus corpore implens pondus, in tantum aucta, ut in terrâ quoque immobilisprehendatur. Gignunt eos Alpes, et septentrionalis regio. In aviariis saporem perdunt. —

XXX. 23. — Immensus est tractus, quò veniunt grues, si quis reputet a mari Eoo. Quando proficiscantur consentiunt: volant ad prospiciendum altè: ducem, quem sequantur, eligunt: in extremo agmine per vices, qui acclament, dispositos habent, et qui gregem voce contineant. Excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno et decidens indiligentiam coarguat. Ceteræ dormiunt capite subter alam condito, alternis pedibus insistentes. Dux erecto providet collo, ac prædicat. —

XXXI. Ciconiæ quonam e loco veniant, aut quò se referant, incompertum adhuc est. E longinquo venire non dubium, eodem quo grues modo: illas hiemis, has æstatis advenas. Abituræ congregantur in loco certo: comitatæque sic, ut nulla sui generis relinquatur, nisi captiva et serva, ceu lege prædictâ die recedunt. Nemo vidit agmen discedentium, cùm discessurum appareat: nec venire, sed venisse cernimus: utrumque nocturnis fit temporibus. Et quamvis ultrà citræve pervolent, numquam tamen advenisse usquam, nisi noctu, existimantur. Pythonos comen vocant in Asiâ patentibus campis, ubi congregatæ inter se commurmurant, eamque quæ novissima advenit, lacerant, at-

que ita abeunt. Notatum post Idus Augustas non temere visas ibi. Sunt qui ciconiis non inesse linguas confirmant. Honos iis serpentium exitio tantus, ut in Thessaliâ capitale fuerit occidisse, eademque legibus pœna, quæ in homicidam. — XL. 28. Invocant et Ægyptii ibes suas contra serpentium ictus.

XXXII. Simili anseres quoque et olores ratione commeant: sed horum volatus cernitur: liburnicarum modo rostrato impetu feruntur, faciliùs ita findentes aera, quàm si rectâ fronte impellerent: a tergo sensim dilatante se cuneo porrigitur agmen, largèque impellenti præbetur auræ. Colla imponunt præcedentibus: fessos duces ad terga recipiunt. Ciconiæ nidos eosdem repetunt: genitricum senectam invicem educant. Olorum morte narratur flebilis cantus, (falsò, ut arbitrator,) aliquot experimentis. Iidem mutuâ carne vescuntur inter se.

XXXIII. Verùm hæc commeantium per maria terrasque peregrinatio non patitur differri minores quoque, quibus est natura similis: utcumque enim supradictas magnitudo et vires corporum invitare videri possint. Coturnices antè etiam semper adveniunt, quàm grues: parva avis, et cùm ad nos venit, terrestris potiùs, quàm sublimis. Advolant et hæ simili modo, non sine periculo navigantium, cùm adpropinquavere terris. Quippe velis sæpe incidunt, et hoc semper noctu, merguntque navigia. Iter est his per hospitia certa. Austro non volant, humido scilicet et graviore vento. Aurâ tamen vehi volunt, propter pondus corporum, viresque parvas. Hinc volantium illa conquestio labore expressa. —

XXXIV. 24. Abeunt et hirundines hibernis mensibus, sola carne vescens avis ex iis quæ aduncos ungues non habent: sed in vicina abeunt, apricos secutæ montium recessus: inventæque jam sunt ibi nudæ atque deplumes. —

XXXV. Abeunt et merulæ, turdique, et sturni simili modo in vicina. Sed hi plumam non amittunt, nec occultantur, visi sæpe ibi, quò hibernum pabulum petunt: itaque in Germaniâ hieme maximè

turdi cernuntur. Veriùs turtur occultatur, pennasque amittit. Abeunt et palumbes, quonam et in iis incertum. Sturnorum generi proprium catervatim volare, et quodam pilæ orbe circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus. Volucrum soli hirundini flexuosi volatûs velox celeritas, quibus ex causis neque rapinæ ceterarum alitum obnoxia est. Ea demum sola avium nonnisi in volatu pascitur.

XXXVI. 25. Temporum magna differentia avibus. Perennes, ut columbæ: semestres, ut hirundines: trimestres, ut turdi et turtures: et quæ, cùm fetum eduxere, abeunt, ut galguli, upupæ. —

XXXVIII. Meleagrides ——— Africæ hoc est gallinarum genus, gibberum, variis sparsum plumis: quæ novissimæ sunt peregrinarum avium in mensas receptæ. ———

XLII. Alia admiratio circa oscines ——— Merula ex nigrâ rufescit, canit æstate, hieme balbutit, circa solstitium muta ——— Turdis color æstate circa cervicem varius, hieme concolor.

XLIII. Lusciniis diebus ac noctibus continuis quindecim garrulus sine intermissu cantus, densante se frondium germine, non in novissimum dignâ miratu ave. Primùm tanta vox tam parvo in corpusculo, tam pertinax spiritus. Deinde in unâ perfectâ musicæ scientiæ modulatus editur sonus: et nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur revocato, infuscatur ex inopinato: interdum et secum ipse murmurat: plenus, gravis, acutus, creber, extensus: ubi visum est, vibrans, summus, medius, imus. Breviterque omnia tam parvulis in faucibus, quæ exquisitis tiliarum tormentis ars hominum excogitavit. ——— Certant inter se, palamque animosa contentio est. Victa morte finit sæpe vitam, spiritu priùs deficiente, quàm cantu. Meditantur aliæ juveniores, versusque quos imitentur accipiunt. Audit discipula intentione magnâ, et reddit, vicibusque reticens. Intelligitur emendatæ correptio, et in docente quædam reprehensio. Ergo servorum illis pretia sunt, et qui-

dem ampliora, quàm quibus olim armigeri parabantur. Scio sestertiis sex, candidam alioquin, quod est propè invisitatum, venisse, quæ Agrippinæ Claudii principis conjugii dono daretur. —

XLVII. 32. Eo maximè sunt insignes halcyones. Dies earum partûs, maria, quique navigant, novere. Ipsa avis paulo amplior passere, colore cyaneo ex parte majore, tantùm purpureis et candidis admixtâ pennis, collo gracili ac procero. Alterum genus earum magnitudine distinguitur et cantu. Minores in arundinetis canunt. Halcyonem videre rarissimum est, nec nisi Vergiliarum occasu, et circa solstitia brumamve, nave aliquando circumvolatâ, statim in latebras abeuntem. Fetificant brumâ, qui dies halcyonides vocantur, placido mari per eos et navigabili, Siculo maximè. Faciunt autem septem ante brumam diebus nidos, et totidem sequentibus pariunt. Nidi earum admirationem habent pilæ figurâ, paulum eminenti, ore perquam angusto, grandium spongiarum similitudine: ferro intercidi non queunt, franguntur ictu valido, ut spuma arida maris. Nec unde confingantur, invenitur. Putant ex spinis aculeatis: piscibus enim vivunt. Subeunt et in annes. Pariunt ova quina. —

XLIX. 33. Halcyonum nidi figura reliquarum quoque solertiæ admonet: neque aliâ parte ingenia avium magis admiranda sunt. Hirundines luto construunt, stramento roborant. Si quando inopia est luti, madefactæ multâ aquâ pennis pulverem spargunt. Ipsum verò nidum mollibus plumis floccisque consternunt tepefaciendis ovis, simul ne durus sit infantibus pullis. In fetu summâ æquitate alternant cibum. Notabili munditiâ egerunt excrementa pullorum: adultioresque circumagi docent, et foris saturitatem emittere. Alterum genus hirundinum est rusticarum et agrestium, quæ rarè in domibus, diversos figurâ, sed eadem materiâ, confingunt nidos, totos supinos, faucibus porrectis in angustum, utero capaci: mirum quâ peritiâ et occultandis habiles pullis, et substernendis molles. — Tertium est earum genus, quæ ripas excavant, atque ita internidificant. —

L. In genere vitiparrarum est, cui nidus ex musco arido ita absolutâ perficitur pilâ, ut inveniri non possit aditus. Acanthyllis appellatur, eâdem figurâ ex lino intexens. Picorum alicui suspenditur surculo primis in ramis cyathi modo, ut nulla quadrupes possit accedere. —

LII. 34. ——— Columbibus pudicitia prima, et neutri nota adulteria. Conjugii fidem non violant, communemque servant domum. Nisi cælebs aut vidua, nidum non relinquit. Et imperiosos mares, subinde etiam iniquos ferunt: quippe suspicio est adulterii, quamvis natura non sit. Tunc plenum querelâ guttur, sævique rostro ictus, mox in satisfactione exosculatio, et circa Veneris preces crebris pedum orbibus adulatio. Amor utrique sobolis æqualis: sæpe et ex hac causâ castigatio, pigriùs intrante feminâ ad pullos. Parturienti solatia et ministeria ex mare. Pullis primò salsiorem terram collectam gutture in ora inspuunt, præparantes tempestivitate cibo. Proprium generis ejus et turturum, cùm bibant, colla non resupinare, largèque bibere jumentorum modo. —

36. ——— Columbibus inest quidam et gloriæ intellectus. Nosse credas suos colores, varietatemque dispositam: quin etiam ex volatu quæritur plaudere in cælo, varièque sulcare. Quâ in ostentatione, ut vinctæ, præbentur accipitri, implicatis strepitu pennis, qui non nisi ipsis alarum humeris eliditur: alioqui soluto volatu in multum velociores. Speculatur occultus fronde latro, et gaudentem in ipsâ gloriâ rapit. —

LIII. Quin et internuntia in rebus magnis fuere, epistolas adnexas earum pedibus obsidione Mutinensi in castra consulum Decimo Bruto mittente. Quid valium, et vigil obsidio, atque etiam retia amne prætenta profuere Antonio, per cælum eunte nuntio? Et harum amore insaniunt multi: super tecta exædificant turres iis, nobilitatemque singularum et origines narrant, vetere jam exemplo. L. Axius eques Romanus ante bellum civile Pompeianum denariis quadringentis singula paria venditavit, ut M. Varro tradit. Quin et patriam nobilitavere, in Campaniâ grandissimæ provenire existimata.



LIV. Harum volatus in reputationem ceterarum quoque volucrum nos impellit.

38. Omnibus animalibus reliquis certus et uniusmodi, et in suo cuique genere incessus est: aves solæ vario meatu feruntur et in terrâ et in aere. Ambulant aliquæ, ut cornices: saliunt aliæ, ut passerres, merulæ: currunt, ut perdices, rusticulæ: ante se pedes jaciunt, ut ciconiæ, grues: expandunt alas, pendentisque raro intervallo quatiunt, aliæ crebrius, sed et primas dumtaxat pennas: aliæ et tota latera pandunt: quædam verò majore ex parte compressis volant, percussoque semel, aliquæ et gemino ictu aere feruntur, velut inclusum eum prementes, ejaculantur sese in sublime, in rectum, in pronum. Impingi putes aliquas, aut rursus ab alto cadere has, illas salire. Anates solæ, quæque sunt ejusdem generis, in sublime protinus sese tollunt, atque e vestigio cælum petunt, et hoc etiam ex aquâ. Itaque in foveas, quibus feras venamur, delapsæ solæ evadunt. Vultur, et feræ graviores, nisi ex procursu, aut altiore cumulo immissæ, non evolant: caudâ reguntur. Aliæ circumspectant, aliæ flectunt colla. Nonnullæ vescuntur ea quæ rapuere pedibus. Sine voce non volant multæ: aut e contrario semper in volatu silent. Subrectæ, pronæ, obliquæ, in latera, in ora, quædam et resupinæ feruntur: ut si pariter cernantur plura genera, non in eadem naturâ meare videantur. —

LVIII. Super omnia humanas voces reddunt, psittaci quidem etiam sermocinantes. India hanc avem mittit, sittacen vocat, viridem toto corpore, torque tantùm miniato in cervice distinctam. Imperatores salutatur, et quæ accipit verba pronunciat: in vino præcipuè lasciva. Capiti ejus duritia eadem, quæ rostro. Hoc, cùm loqui discit, ferreo verberatur radio: non sentit aliter ictus. Cùm devolat, rostro se excipit, illi innititur, leviolemque se ita pedum infirmitati facit.

LIX. Minor nobilitas, quia non ex longinquo venit, sed expressior loquacitas, generi picarum est. Adamant verba quæ loquantur. Nec discunt tantùm,

sed diligunt: meditantisque intra semet, curâ atque cogitatione intentionem non occultant. —

LX. 43. Reddatur et corvis sua gratia, indignatione quoque populi Romani testata, non solùm conscientiâ. Tiberio principe ex fetu supra Castorum ædem genito pullus, in oppositam sutrinam devolavit, etiam religione commendatus officinæ domino. Is maturè sermoni ad-suefactus, omnibus matutinis evolans in Rostra, in forum versus, Tiberium dein Germanicum et Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Rom. salutabat, postea ad tabernam remeans, plurium annorum adsiduo officio mirus. Hunc sive æmulatione vicinitatis, manceps proximæ sutrinæ, sive iracundiâ subitâ, ut voluit videri, excrementis ejus positâ calceis maculâ, exanimavit: tantâ plebei consternatione, ut primò pulsus ex eâ regione, mox et interemptus sit, funusque innumeris aliti celebratum exsequiis, constratum lectum super Æthiopum duorum humeros, præcedente tibicine, et coronis omnium generum, ad rogam usque; qui constructus dextrâ viæ Appiæ ad secundum lapidem, in campo Rediculi appellato, fuit. Adeò satis justa causa populo Romano visa est exsequiarum ingenium avis, aut supplicii de cive Romano, in eâ urbe, in quâ multorum principum nemo duxerat funus. — Tradendum putavêre memoriæ quidam, visum per sitim lapides congerentem in situlam monumenti, in quâ pluvia aqua durabat, sed quæ attingi non posset: ita descendere paventem expressisse tali congerie, quantum porturo sufficeret. —

LXIII. 46. Bibunt aves suctu; ex his, quibus longa colla, intermittentes, et capite resupinato velut infundentes sibi. —

LXVIII. — Attagen maximè Ionius celebratur, vocalis aliàs, captus verò obmutescens, quondam existimatus inter raras aves. Jam et in Galliâ, Hispaniâque capitur, et per Alpes etiam. — Præcipuo sapore lagopus: pedes leporino villo nomen ei hoc dedere, ceterò candidæ, columbarum magnitudine. —

LXXI. 50. Gallinas saginare Deliaci cœpère : unde pestis exorta, opimas aves, et suoapte corpore unctas devorandi. ———

LXXII. Aviaria primus instituit, inclusis omnium generum avibus, M. Lænius Strabo, Brundisii equestris ordinis. Ex eo cœpimus carcere animalia coercere, quibus rerum natura cælum adsignaverat.

51. Maximè tamen insignis est in hac memoriâ, Clodii Æsopi tragici histrionis patina, H-S. centum taxata : in quâ posuit aves cantu aliquo aut humano sermone vocales, H-S. senis singulas coemptas : nullâ aliâ inductus suavitate, nisi ut in his imitationem hominis manderet, ne quæstus quidem suos reveritus illos opimos, et voce meritos : dignus prorsus filio, a quo devoratas diximus margaritas. Non sit tamen ( ut verum fatear ) facilè inter duos judicium turpitudinis : nisi quòd minus est summas rerum naturæ opes, quam hominum linguas, cœnâsse. ———

---

## LIBER XI.

I. 1. Restant immensæ subtilitatis animalia : quando aliqui ea neque spirare, et sanguine etiam carere, prodiderunt. Multa hæc et multigenera, terrestrium volucrumque vita. Alia pennata, ut apes : alia utroque modo, ut formicæ : aliqua et pennis et pedibus carentia ; et jure omnia insecta appellata ab incisuris, quæ nunc cervicum loco, nunc pectorum atque alvi, præcincta separant membra, tenui modò fistulâ coherentia. Aliquibus verò non tota incisura, eam ambiente rugâ ; sed in alvo, aut supernè tantùm, imbricatis flexili vertebris, nusquam alibi spectatiore naturæ rerum artificio.

2. In magnis siquidem corporibus, aut certè majoribus, facilis officina sequaci materiâ fuit. In his tam parvis, atque tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio ? ubi tot sensus collocavit in culice ? et sunt alia dictu minora. Sed ubi

visum in eo præterdit? ubi gustatum applicavit? ubi odoratum inseruit? ubi verò truculentam illam et portione maximam vocem ingeneravit? quâ subtilitate pennas adnexuit? prælongavit pedum crura? disposuit jejunam caveam, uti alvum? avidam sanguinis, et potissimum humani, sitim accendit? Telum verò perfodiendo tergori, quo spiculavit ingenio? Atque ut in capaci, cum cerni non possit exilitas, ita reciprocâ generavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter, sorbendoque fistulosum esset. Quos teredini ad perforanda robora cum sono teste dentes adfixit, potissimumque e ligno cibatum fecit? Sed turrigeros elephantorum miramur humeros, taurorumque colla, et truces in sublime jactus: tigrium rapinas, leonum jubas, cum rerum natura nusquam magis, quam in minimis, tota sit. Quapropter, quæso, ne nostra legentes, quoniam ex his spernunt multa, etiam relata fastidio damnent; cum in contemplatione naturæ nihil possit videri supervacuum. —

II. 3. Insecta multi negarunt spirare, idque ratione persuadentes, quoniam in viscera interiora nexus spirabilis non inesset. Itaque vivere, ut fruges, arboresque: sed plurimum interesse, spiret aliquid, an vivat. Eadem de causâ nec sanguinem iis esse, qui sit nullis carentibus corde atque jecore. Sic nec spirare ea, quibus pulmo desit. Unde numerosa questionum series exoritur. Iidem enim et vocem esse his negant, in tanto murmure apium, cicadarum sono, et aliis quæ suis æstimabuntur locis. Nam mihi contuenti se persuasit rerum natura, nihil incredibile existimare de eâ. Nec video, cur magis possint non trahere animam talia, et vivere, quàm spirare sine visceribus: quod etiam in marinis docuimus, quamvis arcente spiratum densitate et altitudine humoris. Volare quidem aliqua, et animatu carere in ipso spiritu viventia, habere sensum victus, generationis, operis, atque etiam de futuro curam: et quamvis non sint membra, quæ, velut carina, sensus invehant, esse tamen his auditum, olfactum, gustatum, eximia præterea naturæ dona, solertiam, animum, artem, quis facilè crediderit? Sanguinem

non esse his fateor, sicut ne terrestribus quidem cunctis, verùm simile quiddam. Ut sepia in mari sanguinis vicem atramentum obtinet, purpurarum generi infector ille succus: sic et insectis quisquis est vitalis humor, hic erit et sanguis, donec aestimatio sua cuique sit. Nobis propositum est, naturas rerum manifestas indicare, non causas judicare dubias.

III. 4. Insecta, ut intelligi possit, non videntur nervos habere, nec ossa, nec spinas, nec cartilaginem, nec pinguia, nec carnes, nec crustam quidem fragilem, ut quaedam marina, nec quæ jure dicatur cutis: sed mediæ cujusdam inter omnia hæc naturæ corpus, arenti simile, nervo mollius, in reliquis partibus siccius verè quàm durius. Et hoc solum his est, nec præterea aliud. Nihil intus nisi admodum paucis intestinum implicatum. Itaque divulsis præcipua vivacitas, et partium singularum palpitatio. Quia quæcumque est ratio vitalis, illa non certis inest membris, sed toto in corpore, minimè tamen capite; solumque non movetur, nisi cum pectore avulsum. In nullo genere plures sunt pedes. Et quibus ex his plurimi, diutius vivunt divulsa, ut in scolopendris videmus. Habent autem oculos, præterque e sensibus tactum atque gustatum: aliqua et odoratum, pauca et auditum.

IV. 5. Sed inter omnia ea principatus apibus, et jure præcipua admiratio, solis ex eo genere hominum causâ genitis. Mella contrahunt, succumque dulcissimum atque subtilissimum, ac saluberrimum. Favos confingunt et ceras, mille ad usus vitæ: laborem tolerant, opera conficiunt, rempublicam habent, consilia privatim, ac duces gregatim: et quod maximè mirum sit, mores habent. Præterea, cùm sint neque mansueti generis, neque feri; tamen tanta est natura rerum, ut prope ex umbrâ minimi animalis, incomparabile effecerit quiddam. Quos efficaciam industriæque tantæ comparemus nervos? quas vires? quos rationi medius fidius viros? hoc certè præstantioribus, quò nihil noverè, nisi commune. Non sit de animâ quæstio: constet et de sanguine, quantum tamen esse in tantulis potest? Æstimemus postea ingenium.

V. 6. Hieme conduntur: unde enim ad pruinas nivesque, et aquilonum flatus perferendos vires? Sanè et insecta omnia, sed minus diu: quæ parietibus nostris occultata, maturè tepefiunt. Circa apes aut temporum locorumve ratio mutata est, aut erraverunt priores. Conduntur a Vergiliarum occasu, sed latent ultra exortum: adeò non ad veris initium, ut dixere, nec quisquam in Italiâ de alvis existimat. Ante fabas florentes exeunt ad opera et labores, nullusque cùm per cælum licuit, otio perit dies. Primum favos construunt, ceram fingunt, hoc est, domos cellasque faciunt. Deinde sobolem, postea mella, ceram ex floribus, melliginem e lachrimis arborum, quæ glutinum pariunt, salicis, ulmi, arundinis, succo, gummi, resinâ. His primum alveum ipsum intus totum, ut quodam tectorio, illinunt, et aliis amarioribus succis contra aliarum bestiarum aviditates: id se facturas consciæ, quod concupisci possit. His deinde fores quoque latiores circumstruunt.

VI. 7. Prima fundamenta commosin vocant periti, secunda pissoceron, tertia propolin, inter coria cerasque magni ad medicamina usûs. Commosis crusta est prima, saporis amari. Pissoceros super eam venit, picantium modo, ceu dilutior cera. E vitium populorumque mitiore gummi propolis, crassioris jam materiæ, additis floribus, nondum tamen cera, sed favorum stabilimentum, quâ omnes frigoris aut injuriæ aditus obstruuntur, odore et ipsa etiamnum gravi, ut quâ plerique pro galbano utantur.

VII. Præter hæc convehitur erithace, quam aliqui sandaracam, alii cerinthum vocant. Hic erit apium, dum operantur, cibus, qui sæpe invenitur in favorum inanitatibus sepositus, et ipse amari saporis. Gignitur autem rore verno, et arborum succo, gummium modo, Africi minor, Austri flatu nigrior, Aquilonibus melior et rubens, plurimus in Græcis nucibus. Menecrates florem esse dicit, sed nemo præter eum. —

X. 10. Ratio operis. Interdiu statio ad portas more castrorum, noctu quies in matutinum, donec una excitet gemino aut triplici bombo, ut buccino aliquo. Tunc

universæ provolant, si dies mitis futurus est. Prædivinant enim ventos imbresque, et se continent tectis. Itaque temperie cæli, (et hoc inter præscita habent :) cùm agmen ad opera processit, aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, guttasque lanugine totius corporis. Quibus est earum adolescentia, ad opera exeunt, et supradicta convehunt: seniores intus operantur. Quæ flores comportant, prioribus pedibus femina onerant, propter id naturâ scabra, pedes priores rostro: totæque onustæ remeant sarcinâ pandatæ. Excipiunt eas ternæ, quaternæque et exonerant. Sunt enim intus quoque officia divisa. Aliæ struunt, aliæ poliunt, aliæ suggerunt, aliæ cibum comparant ex eo, quod adlatum est. Neque enim separatim vescuntur, ne inæqualitas operis et cibi fiat et temporis. Struunt orsæ a concameratione alvei, textumque velut a summâ telâ deducunt, limitibus binis circa singulos actus, ut aliis intrent, aliis exeant. Favi superiore parte adfixi, et paulum etiam lateribus simul hærent, et pendent unâ. Alveum non contingunt, nunc obliqui, nunc rotundi, qualiter poposcit alveus: aliquando et duorum generum: cùm duo examina concordibus populis dissimiles habuere ritus. Ruentes ceras fulciunt, pilarum intergerinis sic a solo fornicatis, ne desit aditus ad sarcendum. Primi fere tres versus inanes struuntur, ne promptum sit quod invitet furantem. Novissimi maximè implentur melle; ideoque aversâ alveo favi eximuntur. Gerulæ secundos flatus captant. Si cooriatur procella, adprehensi pondusculo lapilli se librant. Quidam in humeros eum imponi tradunt. Juxta verò terram volant in adverso flatu vepribus evitatis. Mira observatio operis. Cessantium inertiam notant, castigant mox, et puniunt morte. Mira munditia. Amoliuntur omnia e medio, nullæque inter opera spurcitia jacent. Quin et excrementa operantium intus, ne longiùs recedant, unum congesta in locum, turbidis diebus et operis otio egerunt. Cùm advesperascit, in alveo strepunt minùs ac minùs, donec una circumvolet eodem, quo excitavit, bombo, ceu quietem capere imperans: et hoc castrorum more. Tunc repentè omnes conticescunt.

11. Domos primùm plebei exædificant, deinde regibus. Si speratur largior proventus, adjiciuntur contubernia et fucis. Hæ cellarum minimæ, sed ipsi majores apibus.

XI. Sunt autem fuci, sine aculeo, velut imperfectæ apes, novissimæque, a fessis et jam emeritis inchoatæ, serotinus fetus, et quasi servitia verarum apum: quamobrem imperant iis, primosque in opera expellunt, tardantes sine clementiâ puniunt. Neque in opere tantùm, sed in fetu quoque adjuvant eas, multùm ad calorem conferente turbâ. Certè quò major eorum fuit multitudo, hoc major fiet examinum proventus. Cùm mella cœperunt maturescere, abigunt eos: multæque singulos aggressæ trucidant. Nec id genus, nisi vere conspicitur. Fucus ademptis alis in alveum rejectus, ipse ceteris adimit.

XII. Regias imperatoribus futuris in imâ parte alvei exstruunt amplas, magnificas, separatas, tuberculo eminentes: quod si exprimatur, non gignuntur soboles. Sexangulæ omnes cellæ, singulorum eæ pedum opere. Nihil horum stato tempore, sed rapiunt diebus serenis munia. Et melle uno alterove ad summum die cellas replent.

12. Venit hoc ex aere, et maximè siderum exortu, præcipuèque ipso Sirio exsplendescente fit, nec omnino priùs Vergiliarum exortu, sublucanis temporibus. Itaque tum primâ aurorâ folia arborum melle roscida inveniuntur: ac si qui matutinò sub dio fuere, unctas liquore vestes, capillumque concretum sentiunt. Sive ille est cæli sudor, sive quædam siderum saliva, sive purgantis se aeris succus, utinamque esset et puris ac liquidus, et suæ naturæ, qualis defluit primò: nunc verò e tantâ cadens altitudine, multumque dum venit, sordescens, et obvio terræ halitu infectus, præterea e fronde ac pabulis potus, et in utriculo congestus apium (ore enim eum vomunt:) ad hæc succo florum corruptus, et alveis maceratus totiesque mutatus, magnam tamen cælestis naturæ voluptatem adfert.

XII. 13. Ibi optimus semper, ubi optimorum doliolis florum conditur. Atticæ regionis hoc, et Siculæ, Hy-



metto, et Hyblâ, ab locis : mox Calydnâ insulâ. Est autem initio mel, ut aqua, dilutum, et primis diebus fervet, ut musta, seque purgat : vicessimo die crassescit, mox obducitur tenui membranâ, quæ fervoris ipsius spumâ concrevit. Sorbetur optimum, et minimè fronde infectum, e quercûs, tiliæ, arundinum foliis.

XIV. 14. Summa quidem bonitatis natione constat, (ut suprâ diximus) pluribus modis : aliubi enim favi cœrâ spectabiles gignuntur, ut in Pelignis, Sicilia : aliubi mellis copiâ, ut in Cretâ, Cypro, Africâ : aliubi magnitudine, ut in septemtrionalibus, viso jam in Germaniâ octo pedum longitudinis favo, in cavâ parte nigro.

In quocumque tamen tractu terna sunt mellis genera. Vernum ex floribus constructo favo, quod ideo vocatur anthinum. Hoc quidam attingi vetant, ut largo alimento valida exeat soboles. Alii ex nullo minùs apibus relinquunt, quoniam magna sequatur ubertas, magnorum siderum exortu. Præterea solstitio, cùm thymum et uva florere incipiunt, præcipua cellarum materia. Est autem in eximendis favis necessaria dispensatio, quoniam inopiâ cibi desperant, moriunturque, aut diffugiunt : contrâ copia ignaviam advertit ; ac jam melle, non erithace pascuntur. Ergo diligentiores, ex hac vindemiâ duodecimam partem apibus relinquunt. Dies status inchoandæ, ut quadam lege naturæ, si scire aut observare homines velint, tricesimus ab educto examine : fereque Maio mense includitur hæc vindemia.

Alterum genus est mellis æstivi, quod ideo vocatur ἀρκαϊόν, a tempestivitate præcipuâ, ipso Sirio exsplendescente post solstitium diebus tricenis fere. Immensa circa hoc subtilitas naturæ mortalibus patefacta est, nisi fraus hominum cuncta pernicie corrumperet. Namque ab exortu sideris cujuscumque, sed nobilium maximè, aut cælestis arcûs, si non sequantur imbres, sed ros tepescat Solis radiis, medicamenta, non mella, gignuntur, oculis, ulceribus, internisque visceribus, dona cælestia. Quòd si servetur hoc Sirio exoriente, casuque congruat in eundem diem, ut sæpe, Veneris aut Jovis, Mercuriive exortus, non alia suavitas, visque mortalium malis a morte vocandis, quàm divini nectaris, fiat.

XV. 15. Mel plenilunio uberius capitur, serenâ die pinguius. In omni melle, quod per se fluxit, ut mustum oleumque, appellatur *ακητον*. Maximè laudabile est etiam omne rutilum, vel sic auribus aptissimum. In æstimatu est e thymo, coloris aurei, saporis gratissimi. Quod fit palam doliolis, pingue: marino e rore, spissum. Quod concrescit autem, minimè laudatur. Thymosum non coit, et tactu prætenuia fila mittit: quod primum gravitatis argumentum est. Abrumpi statim et resilire guttas, vilitatis indicium habetur. Sequens probatio, ut sit odoratum, et ex dulci acre, glutinosum, perlucidum. Æstivâ mellatione decimam partem Cassio Dionysio apibus relinqui placet, si plenæ fuerint alvi: si minùs, pro ratâ pòrtione: aut si inanes, omnino non attingi. Huic vindemiæ Attici signum dedere initium caprifici: alii diem Vulcano sacrum.

16. Tertium genus mellis, minimè probatum, sylvestre, quod ericæum vocant. Convehitur post primos autumnii imbres, cùm erice sola floret in silvis, ob id arenoso simile. Gignitur id maximè Arcturi exortu ex ante pridie Idus Septembris. Quidam æstivam mellationem ad Arcturi exortum proferunt, quoniam ad æquinoctium autumnii ab eo super sint dies quatuordecim: et ab æquinoctio ad Vergiliarum occasum diebus XLVIII. plurima sit erice. Atheniensis tetralicem appellant, Eubœa sisirum; putantque apibus esse gratissimam, fortassis quia tunc nulla alia sit copia. Hæc ergo mellatio, fine vindemiæ et Vergiliarum occasu, Idibus Novembris fere includitur. Relinqui ex eâ duas partes apibus ratio persuadet, et semper eas partes favorum, quæ habeant erithacen. A brumâ ad Arcturi exortum diebus LX. somno aluntur sine ullo cibo. Ab Arcturi exortu ad æquinoctium vernum tepidiore tractu jam vigilant: sed etiam tunc alveo se continent, servatosque in id tempus cibos repetunt. In Italiâ verò hoc idem a Vergiliarum exortu faciunt: in eum dormiunt.

Alvos quidam in eximendo melle expendunt, ita dirimentes quantum relinquunt. Æquitas siquidem etiam in eis obstringitur: feruntque societate fraudatâ alvos

mori. In primis ergo præcipitur ut loti, purique eximant mella. Cùm eximuntur apes abigi fumo utilissimum, ne irascantur, aut ipsæ avidè vorent. Fumo crebriore etiam ignavia earum excitatur ad opera. Nam nisi incubavere, favos lividos faciunt. Rursus nimio fumo inficiuntur: quarum injuriam celerrimè sentiunt mella, vel minimo contactu roris acescentia. Et ob id inter genera servatur, quod acapnon vocant.

XVI. Fetus quonam modo prognerent, magna inter eruditos et subtilis quæstio fuit. Apium enim coitus visus est numquam. Plures existimavere oportere confici floribus compositis aptè atque utiliter. Aliqui coitu unius, qui rex in quoque appellatur examine. Hunc esse solum marem, præcipuâ magnitudine, ne fatiscat. Ideo fetum sine eo non edi: apesque reliquas, tamquam marem feminas comitari, non tamquam ducem: quam probabilem aliàs sententiam fucorum proventus coarguit. Quæ enim ratio, ut idem coitus alios perfectos, imperfectos generet alios? —

Id quod exclusum est, primùm vermiculus videtur candidus, jacens transversus, adhærensque ita ut pars ceræ videatur. Rex statim mellei coloris, ut electo flore ex omni copiâ factus, neque vermiculus, sed statim penniger. Cetera turba cùm formam capere cœpit, nymphæ vocantur: ut fuci, sirenes, aut cephenes. Si quis alterutris capita demat, priusquam pennas habeant, pro gratissimo sunt pabulo matribus. Tempore procedente instillant cibos, atque incubant, maximè murmurantes, caloribus (ut putant) faciendi gratiâ, necessariis excludendis pullis, donec ruptis membranis, quæ singulos cingunt ovorum modo, universum agmen emergat. Spectatum hoc Romæ consularis cujusdam suburbano, alveis cornu laternæ translucido factis. Fetus intra XLV. diem peragitur. Fit in favis quibusdam, qui vocatur clavus, amaræ duritiâ ceræ, cùm fetum inde non eduxere morbo aut ignaviâ, aut infecunditate naturali. Hic est abortus apium. Protinus autem educti operantur quadam disciplinâ cum matribus: regemque juvenem æqualis turba comitatur.

Reges plures inchoantur, ne desint. Postea ex his soboles cùm adulta esse cœpit, concordii suffragio deterrimos necant, ne distrahant agmina. Duo autem genera eorum: melior niger variusque. Omnibus forma semper egregia, et duplo quàm ceteris major, pennæ breviores, crura recta, ingressus celsior, in fronte macula quodam diademate candicans. Multùm etiam nitore a vulgo differunt.

XVII. 17. Quærat nunc aliquis, unusne Hercules fuerit, et quot Liberi patres, et reliqua vetustatis situ obruta? Ecce in re parvâ, villisque nostris adnexâ, cujus assidua copia est, non constat inter auctores: rex nullumne solus habeat aculeum, majestate tantùm armatus: an dederit eum quidem natura, sed usum ejus illi tantùm negaverit. Illud constat, imperatorem aculeo non uti. Mira plebei circa eum obedientia. Cùm procedit, unâ est totum examen, circaque eum globatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore, cùm populus in labore est, ipse opera intus circuit, similis exhortanti, solus immunis. Circa eum satellites quidam lictoresque, assidui custodes auctoritatis. Procedit foràs non nisi migraturo examine. Id multò intelligitur antè, aliquot diebus murmure intus strepente, apparatus indice diem tempestivum eligentium. Si quis alam ei detruncet, non fugiet examen. Cùm processere, se quæque proximam illi cupit esse, et in officio conspici gaudet. Fessum humeris sublevant: validiùs fatigatum ex toto portant. Si qua lassata deficit, aut fortè aberravit, odore persequitur. Ubicumque ille consedit, ibi cunctarum castra sunt.

XVIII. — Duce prehensio totum tenetur agmen: amisso dilabatur, migratque ad alios. Esse utique sine rege non possunt. Invitæ autem interimunt eos, cùm plures fuere, potiùsque nascentium domos diruunt, si proventus desperatur: tunc et fucos abigunt. — Certum est, ab apibus fucos interfici. — Sed quomodo sine aculeo nascantur, in quaestione est. —

XXIV. 21. Vespæ in sublimi e luto nidos faciunt, et

in his ceras: crabrones in cavernis aut sub terrâ. Et horum omnium sexangulæ cellæ. Cera autem corticea et araneosa. Fetus ipse inæqualis, et barbarus, alius evolat, alius in nymphâ est, alius in vermiculo. Et autumno, non verno, omnia ea. — Omnes carne vescuntur, contrâ quàm apes, quæ nullum corpus attingunt. Sed vespæ muscas grandiores venantur: amputato iis capite, reliquum corpus auferunt. Crabronum silvestres in arborum cavernis degunt: hieme, ut cetera insecta conduntur; vita bimatum non transit. Ictus eorum haud temere sine febris est. Auctores sunt, ter novenis punctis interfici hominem. —

XXVIII. 24. Araneorum his non absurdè jungatur natura, digna vel præcipuè admiratione. — Orditur telas, tantique operis materiæ uterus ipsius sufficit: sive ita corrupta alvi natura stato tempore, ut Democrito placet: sive est quædam intus lanigera fertilitas: tam moderato ungue, tam tereti filo, et tam æquali deducit stamina, ipso se pondere usus. Texere a medio incipit, circinato orbe subtegmina adnectens: maculasque paribus semper intervallis, sed subinde crescentibus, ex angusto dilatans indissolubili nodo implicat. Quantâ arte celat pedicas, ascutulato rete grassantes? quàm non ad hoc videtur pertinere crebratæ pexitas telæ, et quadam polituræ arte, ipsa per se tenax ratio tramæ? quàm laxus ad flatus, ac non respuenda quæ veniant, sinus? Derelicta lasso prætendi summâ parte arbitrere licia: at illa difficilè cernuntur, atque ut in plagis lineæ offensæ, præcipitant in sinum. Specus ipse quâ concameratur architecturâ? et contra frigora quantò villosior? quàm remotus a medio, aliudque agenti similis? inclusus verò sic, ut sit, nec ne, intus aliquis, cerni non possit. Age, firmitas: quando rumpentibus ventis? quâ pulverum mole degravante? Latitudo telæ sæpe inter duas arbores, cum exercet artem et discit texere: longitudo fili a culmine, ac rursus a terrâ per illud ipsum velox reciprocatio: subitque pariter ac fila deducit. Cum verò captura incidit, quàm vigilans et paratus ad cursum? licet extremâ hæreat plagâ, semper in medium

currit: quia sic maximè totum concutiendo implicat. Scissa protinus reficit, ad polituram sarciens. Namque et lacertarum catulos venantur: os primùm telâ involventes, et tunc demum labra utraque morsu adprehendentes, amphitheatrali spectaculo, cùm contigit. Sunt ex eo et auguria. Quippe incremento annium futuro telas suas altiùs tollunt. Iidem sereno non texunt, nubilo texunt. Ideoque multa aranea imbrium signa sunt. Feminam putant esse quæ texat, marem qui venetur: ita paria fieri merita conjugio. —

XXX. 25. Similiter his et scorpiones terrestres; — pestis importuna, veneni serpentium, nisi quòd graviore supplicio lentâ per triduum morte conficiunt, virginibus letali semper ictu, et feminis fere in totum: viris autem matutinò, exeuntes cavernis, prius quam aliquo fortuito ictu jejunem egerant venenum. Semper cauda in ictu est: nulloque momento meditari cessat, ne quando desit occasione. Ferit et obliquo ictu, et inflexu. —

XXXIII. 28. Insectorum autem quædam binas gerunt pennas, ut muscæ: quædam quaternas, ut apes. Membranis et cicadæ volant. Quaternas habent, quæ aculeis in alvo armantur. Nullum, cui telum in ore, pluribus quàm binis advolat pennis. Illis enim ultionis causâ datum est, his aviditatis. Nullis eorum pennæ revivescunt avulsæ. Nullum, cui aculeus in alvo, bipenne est.

XXXIV. Quibusdam pennarum tutelæ crusta supervenit, ut scarabæis, quorum tenuior fragiliorque penna. His negatus aculeus: sed in quodam genere eorum grandi, cornua prælonga, bisulcis dentata forcipibus, in cacumine, cùm libuit ad morsum coeuntibus; infantium etiam remediis ex cervice suspenduntur. Lucanos vocat hos Nigidius. Aliud rursus eorum genus, qui e fimo ingentes pilas aversi pedibus volutant, parvosque in iis contra rigorem hiemis vermiculos fetûs sui nidulantur. Volitant alii magno cum murmure ac mugitu. Alii focos et prata crebris foraminibus excavant, nocturno stridore vocales. Lucent ignium modo.

noctu, laterum et clunium colore lampyrides, nunc pennarum hiatu refulgentes, nunc verò compressu obumbratæ, non ante matura pabula, aut post desecta conspicuæ. E contrario tenebrarum alumna blattis vita, lucemque fugiunt, in balineis maximè humido vapore prognatæ. Fodiunt ex eodem genere rutili atque prægrandes scarabæi tellurem aridam, favosque parvæ ac fistulosæ modo spongiæ, medicato melle fingunt. ———

Pennæ insectis omnibus sine scissurâ: nulli cauda nisi scorpioni. Hic eorum solus et brachia habet, et in caudâ spiculum. Reliquorum quibusdam aculeus in ore, ut asilo, sive tabanum dici placet: item culici et quibusdam muscis. Omnibus autem his in ore et pro linguâ sunt hi aculei. Quibusdam hebetes, neque ad punctum, sed ad suctum, ut muscarum generi, in quo lingua evidens fistula est. Nec sunt talibus dentes. Aliis cornicula ante oculos prætenduntur ignava, ut papilionibus. Quædam insecta carent pennis, ut scolopendra.

XXXV. 29. Insectorum pedes quibus sunt, in obliquum moventur. Quorumdam extremi longiores foris curvantur, ut locustis.

29. Hæ pariunt in terram demisso spinæ caule, ova condensa, autumnii tempore. Ea durant hieme subterrâ. Subsequente anno, exitu veris, emittunt parvas, nigrantes et sine cruribus, pennisque reptantes. Itaque vernis aquis intereunt ova: siccoque vere major proventus. Alii duplicem earum fetum, geminum exitum tradunt: Vergiliarum exortu parere, deinde ad Canis ortum obire, et alias renasci. Quidam Arc-turi occasu renasci. Mori matres cùm pepererint, certum est, vermiculo statim circa fauces enascente, qui eas strangulat. Eodè tempore mares obeunt. Tam frivolâ ratione morientes, serpentem, cùm libuit, necant singulæ, faucibus ejus apprehensis mordicus. Non nascuntur nisi rimosis locis. In Indiâ ternùm pedum longitudinis esse traduntur, cruribus et feminibus ser-rarum usum præbere, cùm inaruerint. Est et alius earum obitus. Gregatim sublata vento in maria aut

stagna decidunt. Fortè hoc casuque evenit, non (ut prisci existimavere) madefactis nocturno humore alis. Iidem quippe nec volare eas noctibus propter frigora tradiderunt: ignari etiam longinqua maria ab iis transiri, continuatâ plurium dierum (quod maximè miremur) fame quoque, quam propter externa pabula petere sciunt. Deorum iræ pestis ea intelligitur. Namque et grandiores cernuntur, et tanto volant pennarum stridore, ut aliæ alites credantur: Solemque obumbrant, sollicitis suspectantibus populis, ne suas operiant terras. Sufficiunt quippe vires: et tamquam parum sit maria transisse, immensos tractus permeant, dirâque messibus contegunt nube, multa contactu adurentes: omnia verò morsu erodentes, et fores quoque tectorum. —

XXXVI. 30. Plurima insectorum vermiculum gignunt. Nam et formicæ similem ovis vere: et hæ communicantes laborem: sed apes utiles faciunt cibos, hæ condunt. Ac si quis comparet onera corporibus earum, fateatur nullis portione vires esse majores. Gerunt ea morsu. Majora aversæ postremis pedibus moliuntur, humeris obnixæ. Et iis reipublicæ ratio, memoria, cura. Semina adrosa condunt, ne rursus in fruges exeant e terrâ. Majora ad introitum dividunt. Madefacta imbre proferunt atque siccant. Operantur et noctu plenâ Lunâ: Eædem interlunio cessant. Jam in opere qui labor? quæ sedulitas? Et quoniam ex diverso convehunt altera alterius ignara, certi dies ad recognitionem mutuam nundinis dantur. Quæ tunc earum concursatio? quàm diligens cum obviis quædam collocutio atque percunctatio? Silices itinere earum adtritros videmus, et in opere semitam factam, ne quis dubitet qualibet in re quid possit quantulacumque assiduitas. —

XXXVII. 32. Multa autem insecta et aliter nascuntur. — In carne exanimi, et viventium quoque hominum capillo: quâ fœditate et Sulla dictator, et Alcman ex clarissimis Græciæ poetis, obiire. Hoc quidem et aves infestat: phasianas verò interimit, nisi pulverantes sese. Pilos habentium asinum tantum immunem hoc malo credunt, et oves. —



XLIII. Hypanis fluvius in Ponto, circa solstitium defert acinorum effigie tenues membranas : quibus erumpit volucre quadrupes supradicti modo, nec ultra unum diem vivit, unde hemerobion vocatur. —

XLIV. 37. Nunc per singulas corporis partes, præter jam dicta, membratim tractetur historia.

Caput habent cuncta quæ sanguinem. In capite paucis animalium, nec nisi volucris, apices diversi quidem generis : — pavonibus crinitis arbusculis : stymphalidi, cirro : phasianæ, corniculis. Præterea parvæ avi, quæ ab illo galerita appellata quondam, postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat alaudæ. — Pico quoque Martio, et grui Balearicæ. Sed spectatissimum insigne gallinaceis, corporeum serratum : nec carnem id esse, nec cartilaginem, nec callum jure dixerimus, verum peculiare. —

XLV. Cornua multis quidem et aquatiliis, et marinorum, et serpentum, variis data sunt modis : sed quæ jure cornua intelligantur, quadrupedum generi tantum. — Nec alibi major naturæ lascivia. Lusit animalia armis. Sparsit hæc in ramos, ut cervorum. Aliis simplicia tribuit, ut in eodem genere subulonibus ex argumento dictis. Aliorum finxit in palmas, digitosque emisit ex iis : unde platycerotas vocant. Dedit ramosa capreis, sed parva : nec fecit decidua. Convoluta in anfractum arietum generi, ceu cæstus daret : infesta, tauris. In hoc quidem genere, et feminis tribuit : in multis, tantum maribus. Rupicapris in dorsum adunca, damis in adversum. Erecta autem, rugarumque ambitu contorta, et in leve fastigium exacuta, ut liras diceres, strepsiceroti, quem addacem Africa appellat. —

XLIX. Cerebrum omnia habent animalia quæ sanguinem. — Sed homo portione maximum et humidissimum, omniumque viscerum frigidissimum, duabus supra subterque membranis velatum, quarum alterutram rumpi mortiferum est. Cæterò viri, quàm feminae, majus. — Uni homini in infantiâ palpitat, nec corroboratur ante primum sermonis exordium. Hoc est viscerum excelsissimum, proximumque cælo capitis, sine carne, sine cruore, sine sordibus. Hanc

habent sensus arcem : huc venarum omnis a corde vis tendit, hîc desinit ; hîc culmen altissimum, hîc mentis est regimen. ———

L. Aures homini tantùm immobiles. Ab iis Flacorum cognomina. Nec in aliâ parte feminis majus impendium, margaritis dependentibus. In Oriente quidem et viris aurum gestare eò loci, decus existimatur. Animalium aliis majores, aliis minores. ——— In equis et omnium jumentorum genere indicia animi præferunt : fessis marcidæ, micantes pavidis, subrectæ furentibus, resolutæ ægris. ———

LI. Facies homini tantùm, ceteris os, aut rostra. Frons et aliis, sed homini tantùm tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, severitatis index. In animo sensus ejus. Supercilia homini, et pariter et alternè mobilia, et in iis pars animi. Negamus, an annuimus ? Hæc maximè indicant factum. Superbia aliubi conceptaculum, sed hîc sedem habet. In corde nascitur, huc subit, hîc pendet. Nihil altius simul abruptiusque invenit in corpore, ubi solitaria esset.

LII. Subjacent oculi, pars corporis preciosissima, et qui lucis usu vitam distinguant a morte. Non omnibus animalium hi : ostreis nulli : quibusdam concharum dubii. ——— Cochleis oculorum vicem cornicula bina prætentatu implent, Nec lumbricis ulli sunt, vermiumve generi.

LIII. Oculi homini tantùm diverso colore : ceteris in suo cuique genere similes. Et equorum quibusdam glauci. Sed in homine numerosissimæ varietatis atque differentiæ ; grandiores, modici, parvi, prominentes, quos hebetiores putant : conditi, quos clarissimè cernere : sicut in colore caprinos.

LIV. Præterea alii contuentur longinqua, alii nisi propè admota, non cernunt. ———

Oculus unicolor nulli : cum candore omnibus medius color differens. Neque ullâ ex parte majora animi indicia cunctis animalibus : sed homini maximè, id est, moderationis, clementiæ, misericordiæ, odii, amoris, tristitiæ, lætitiæ. Contuitu quoque multiformes, truces, torvi, flagrantes, graves, transversi, limi, summissi

blandi. Profectò in oculis animus habitat. Ardent, intenduntur, humectant, connivent. Hinc illa misericordiæ lacrima. ——— Hinc fletus et rigantes ora rivi. Quis ille humor est, in dolore tam fecundus et paratus? aut ubi reliquo tempore? Animo autem, videmus: animo cernimus: oculi, ceu vasa quædam, visibilem ejus partem accipiunt, atque transmittunt. ———

LVI. Palpebræ in genis homini utrimque. Mulieribus verò etiam infectæ quotidianò. Tanta est decoris adfectatio, ut tinguantur oculi quoque! Aliâ de causâ hoc natura dederat, ceu vallum quoddam visûs, et prominens munimentum contra occursantia animalia, aut alia fortuitu incidentia. ———

LVIII. Infra oculos malæ, homini tantùm. ——— Pudoris hæc sedes. Ibi maximè ostenditur rûbor.

LIX. Intra eas hilaritatem risumque indicantes, buccæ. Et altior homini tantùm, quem novi mores subdolæ irrisioni dicavere, nasus. Non alii animalium nares eminent. ———

LX. Labra, a quibus Brocchi, Labeones dicti. Et os probum duriusve, animal generantibus: pro iis cornea et acuta volucris rostra. Eadem raptò viventibus adunca: collecto, recta: herbas eruentibus limumque, lata, ut suum generi. Jumentis vice manûs ad colligenda pabula ora: apertiora laniatu viventibus. Mentum nulli præter hominem, nec malæ. Maxillas crocodilus tantùm superiores movet: terrestres quadrupes, eodem, quo cetera more, præterque in obliquum.

LXI. Dentium tria genera: serrati, aut continui, aut exerti. Serrati pectinatim coeuntes, ne contrario occurso atterantur: ut serpentibus, piscibus, canibus. Continui, ut homini, equo. Exserti ut apro, hippopotamo, elephanto. Continuorum qui digerunt cibum, lati et acuti: qui conficiunt, duplices: qui discriminant eos, canini appellantur. Hi sunt serratis longissimî. Continui, aut utraque parte oris sunt, ut equo; aut superiore primores non sunt, ut bubus, ovibus, omnibusque quæ ruminant. Capræ superiores non sunt

præter primores geminos. Nulli exserti, quibus serrati. Rarò feminæ, et tamen sine usu. Itaque cùm apri percutiant, feminæ sues mordent. —

LXIII. Ceteris cum ipsis nascuntur: homini, postquam natus est, septimo mense. Reliquis perpetuò manent. Mutantur homini, leoni, jumento, cani, et ruminantibus. Sed leoni et cani, non nisi canini appellati. Lupi dexter caninus, in magnis habetur operibus. Maxillares qui sunt a caninis, nullum animal mutat. Homini novissimi, qui genuini vocantur, circiter vicesimum annum gignuntur: multis et octogesimo, feminis quoque: sed quibus in juventâ non fuere nati. Decidere in senectâ, et mox renasci, certum est —

LXIV. Ætas veterinorum dentibus indicatur. Equo sunt numero XL. Amittit tricesimo mense primores utrimque binos: sequenti anno totidem proximos, cùm subeunt dicti columellares. Quinto anno incipiente binos amittit, qui sexto anno renascuntur. Septimo omnes habet et renatos, et immutabiles. Equo castrato priùs, non decidunt dentes. — Absumptâ hac observatione senectus in equis, et ceteris veterinis, intelligitur dentium brochitate, superciliorum canitie, et circa ea lacunis, cùm ferè sedecim annorum existimantur. —

LXV. Linguæ non omnibus eodem modo. Tenuissima serpentibus et trisulca, vibrans, atri coloris, et si extrahas, prælonga: lacertis bifida et pilosa: vitulis quoque marinis duplex: sed suprâ dictis capillamenti tenuitate: ceteris ad circumlambenda ora. Piscibus paulo minùs tota adherens, crocodilis tota. Sed in gustatu, linguæ vice carnosum aquatilibus palatum. Leonibus, pardis, omnibusque generis ejus, etiam felibus, imbricatæ asperitatis, ac limæ similis, attenuansque lambendo cutem hominis. —

LXVI. — Minor lingua, epiglossis appellata, nulli ova generantium. Opera ejus gemina, duabus interpositæ fistulis. Interior earum appellatur arteria, ad pulmonem atque cor pertinens. Hanc operit in epulando, ne spiritu ac voce illac meante, si potus cibusve in alienum deerraverit tramitem, torqueat.

Altera exterior appelletur sanè gula, quâ cibus atque potus devoratur. Tendit hæc ad stomachum, is ad ventrem. Hanc per vices operit, cùm spiritus tantùm aut vox com meat, ne restagnatio intempestiva alvi obstrepat. Ex cartilagine et carne arteria, gula nervo et carne constat.

LXVII. Cervix nulli, nisi quibus utraque hæc. Ceteris collum, quibus tantùm gula. Sed quibus cervix, e multis vertebratisque orbiculatim ossibus flexilis, ad circumspectum, articulorum nodis jungitur. ——— Spinae adnectitur, spina lumbis; ossea; sed tereti structurâ, per media foramina a cerebro medullâ descendente. Eamdem esse ei naturam, quam cerebro, colligunt: quoniam prætenui ejus membranâ modò incisâ statim exspiretur. ———

LXIX. Cor animalibus ceteris in medio pectore est: homini tantùm infra lævam papillam, turbinato mucrone in priora eminens.—Huic præcipuus calor. Palpitat certè, et quasi alterum movetur intra animal, præmolli firmoque opertum membranæ involucro, munitum costarum et pectoris muro, ut pariat præcipuam vitæ causam et originem. Prima domicilia intra se animo et sanguini præbet, sinuoso specu, et in magnis animalibus triplici, in nullo non gemino: ibi mens habitat. Ex hoc fonte duæ grandes venæ in priora et terga discurrunt, sparsâque ramorum serie, per alias minores omnibus membris vitalem sanguinem rigant. Solum hoc viscerum vitiis non maceratur, nec supplicia vitæ trahit: læsumque mortem illico adfert. Ceteris corruptis, vitalitas in corde durat. ———

LXXII. Sub eo pulmo est, spirandique officina, attrahens ac reddens animam, idcirco spongiosus, ac fistulis inanibus cavus. ———

LXXIII. Jecur in dextrâ parte est. ———

LXXIV. In eodem est fel, non omnibus datum animalibus. ———

LXXV. In felle nigro insanix causa homini, morsque toto reddito. Hinc et in mores crimen, bilis nomine. Adeò magnum est in hac parte virus, cùm se fundit in animum. Quin et toto corpore vagum, colorem quoque oculis aufert. ———

LXXVII. ——— Extâ homini ab inferiore viscerum parte separantur membranâ, quæ præcordia appellant; quia cordi prætenditur, quod Græci appellaverunt *φρένας*. Omnia quidem principalia viscera, membranis propriis, ac velut vaginis inclusit providens natura: in hac fuit et peculiaris causa vicinitas alvi, ne cibo supprimeretur animus. ——— In eâdem præcipua hilaritatis sedes.

LXXVIII. Subest venter stomachum habentibus, ceteris simplex, ruminantibus geminus, sanguine carentibus nullus. ———

LXXIX. Ab hoc ventriculo lactes in homine et ove, per quas labitur cibus, in ceteris hillæ: a quibus capaciora intestina ad alvum. ——— Aves quoque geminos sinus habent quædam: unum, quo merguntur recentia, ut guttur: alterum, in quem ex eo demittunt concocione maturata: ut gallinæ, palumbes, columbæ, perdices. Ceteræ fere carent eo: sed gulâ patientiore utuntur: ut graculi, corvi, cornices. ———

LXXX. Ventriculus atque intestina pingui ac tenui omento integuntur. ——— Huic adnectitur lien in sinistra parte adversus jecori. ———

LXXXI. ——— Renes ——— summis adhærent lumbis. ——— Animalia in renibus pinguissima: oves quidem letaliter circum eos concreto pingui. Aliquando in eis inveniuntur lapilli. ———

LXXXII. Pectus, hoc est, ossa, præcordiis et vitalibus natura circumdedit: at ventri, quem necesse erat increscere, ademit. Nulli animalium circa ventrem ossa. Pectus homini tantum latum, reliquis carinatum, volucris magis, et inter eas aquaticis maximè. Costæ homini tantum octonæ, suibus denæ, cornigeris tredecim, serpentibus triginta.

LXXXIII. Infra alvum est a priore parte vesica, quæ nulli ova gignentium, præter testudinem: nulli nisi sanguineum pulmonem habenti: nulli pedibus carentium. ——— In hominum quibusdam diro cruciatu subinde nascentes calculi. ———

LXXXV. Cornigera unâ parte dentata, et quæ in pedibus talos habent, sevo pinguescunt. Bisulca,

scissive in digitos pedibus, et noncornigera, adipe. — Quædam non pinguescunt, ut lepus, perdix. Steriliora cuncta pinguia, et in maribus, et in feminis; senescuntque celerius præpinguia. —

XCIV. Quæ animal pariunt, pilos habent: quæ ova pennas, aut squamas, aut corticem, ut testudines: aut cutem puram, ut serpentes. Pennarum caules omnium cavi: præcisæ non crescunt, evulsæ renascuntur. Membranis volant fragilibus insecta, humentibus hirundines in mari, siccis inter tecta vespertilio. Horum alæ quoque articulos habent. —

CXII. 51. — Mira præterea sunt de voce digna dictu. In theatrorum orchestris, scobe aut arenâ superjectâ devoratur, et in rudi parietum circumjectu, doliis etiam inanibus: currit eadem concavo vel recto parietum spatio, quamvis levi sono dicta verba ad alterum caput perferens, si nulla inæqualitas impediatur. Vox in homine magnam vultûs habet partem. Agnoscimus eam prius, quàm cernamus, non aliter quàm oculis: totidemque sunt eæ, quot in rerum naturâ mortales: et sua cuique, sicut facies. Hinc illa gentium, totque linguarum, toto orbe diversitas: hinc tot cantus et moduli, flexionesque. Sed ante omnia explanatio animi, quæ nos distinxit a feris, inter ipsos quoque homines discrimen alterum æquè grande, quàm a belluis, fecit. —

CXVII. Homini cibus utilissimus simplex. Aceratio saporum pestifera, et condimento perniciosior. Difficulus autem perficiuntur omnia in cibus acria, nimia, et avidè hausta: et æstate, quàm hieme, difficilius: et in senectâ, quàm in juventâ. Vomitiones homini ad hæc in remedium excogitatæ, frigidiora corpora faciunt, inimicæ oculis maximè, ac dentibus.

CXVIII. Somno concoquere corpulentiam, quàm firmitati utilius. Ideo athletas malunt cibos ambulatione perficere. —

CXIX. Perniciosissimum autem et in omni quidem vitâ, quod nimium, præcipuè tamen corpori: minuique quod gravet, quolibet modo utilius. Verùm ad reliqua naturæ transeamus.

## LIBER XII.

I. Animalium omnium, quæ nosci potuere, naturæ generatim membratimque ita se habent. Restant neque ipsa animâ carentia (quandoquidem nihil sine eâ vivit) terrâ edita, ut inde eruta dicantur, ac nullum si leatur rerum naturæ opus. Diu fuere occulta ejus beneficia, summumque munus homini datum, arbores, silvæque intelligebantur. Hinc primùm alimenta, harum fronde mollior specus, libro vestis. Etiamnum gentes sic degunt. Quò magis ac magis admirari subit, ab iis principiis cædi montes in marmora, vestes ad Serras peti : unionem in Rubri maris profundo, smaragdum in imâ tellure quæri. Ad hoc excogitata sunt aurium vulnera: nimirum quoniam parum erat collo crinibusque gestari, nisi infoderentur etiam corpori. Quamobrem sequi par est ordinem vitæ, et arbores ante alia dicere, ac moribus primordia ingerere.

II. 1. Hæc fuere numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiam nunc deo præcellentem arborem dicant. Nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quàm lucos, et in iis silentia ipsa adoramus. Arborum genera numinibus suis dicata perpetuò servantur: ut Jovi esculus, Apollini laurus, Minervæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus. Quin et Silvanos Faunosque, et dearum genera silvis, ac sua numina, tamquam et cælo, adtributa credimus. Arbores postea blandioribus fruge succis hominem mitigavere. Ex iis recreans membra olei liquor, viresque potus vini: tot denique sapes annui sponte venientes: et mensæ (depugnetur licet earum causâ cum feris, et pasti naufragorum corporibus pisces expetantur) etiamnum tamen secundæ. Mille præterea sunt usus earum, sine quibus vita degi non possit. Arbore sulcamus maria, terrasque admovemus; arbore exædificamus tecta: arbore et simulacra numinum fuere, nondum pretio excogitato beluarum cadaveri; atque ut, a diis nato jure luxuriæ, eodem ebore numinum ora spectarentur et mensarum pedes. —



III. — Platanus, mare Ionium in Diomedis insulam ejusdem tumuli gratiâ primùm invecta, inde in Siciliam transgressa, atque inter primas donata Italiæ, et jam ad Morinos usque pervecta est. —

V. — Nunc est clara in Lyciâ gelidi fontis sociâ amœnitate, itineri apposita, domicilii modo, cavâ octoginta atque unius pedum specu, nemorosâ vertice, et se vastis protegens ramis, arborum instar, agros longis obtinet umbris: ac ne quid desit speluncæ imagini, saxæ intus crepidinis corona muscosos complexa pumices: tam digna miraculo, ut Licinius Mucianus ter consul, et nuper provinciæ ejus legatus, prodendum etiam posteris putarit, epulatum intra eam se cum duodevicesimo comite: largè ipsâ toros præbente fronde, ab omni afflatu securum, optantem imbrium per folia crepitus, lætiorem, quàm marmorum nitore, picturæ varietate, laquearium auro, cubuisse in eâdem. Aliud exemplum Caii principis, in Veliterno rure mirati unius tabulata, laxèque ramorum trabibus scamna patula, et in eâ epulati, cùm ipse pars esset umbræ, quindecim convivarum ac ministerii capace triclinio, quam cenam appellavit ille nidum. —

VII. 3. Peregrinæ et cerasi, Persicæque, et omnes quarum Græca nomina aut aliena: sed quæ ex his incolarum numero esse cœpere, dicentur inter frugiferas. —

VIII. 4. Unam e peculiaribus Indiæ Virgilius celebravit ebum, nusquam alibi nasci professus. —

IX. Romæ eam magnus Pompeius in triumpho Mithridatico ostendit. Accendi Fabianus negat: uritur tamen odore jucundo. Duo genera ejus: rarum id, quod melius, arboreum, trunco enodi, materie nigri splendoris, ac vel sine arte protinus jucundi: alterum fruticosum cytisi modo, et totâ Indiâ dispersum est. —

XVII. Saccharon et Arabia fert, sed laudatius India: est autem mel in arundinibus collectum, gummium modo candidum, dentibus fragile, amplissimum nucis avellanæ magnitudine, ad medicinæ tantum usum. —

XXI. 10. Tylos insula in Rubro sinu est, repleta — lanigerarum arborum alio modo, quàm Serum. His folia infœcunda: quæ, ni minora essent, vitium poterant videri. Ferunt cotonei mali amplitudine cucurbitas, quæ maturitate ruptæ ostendunt lanuginis pilas, ex quibus vestes pretioso linteo faciunt.

11. Arbores vocant gossympinos: fertiliore etiam Tylo minore, quæ distat x. m. pass.

XXII. Juba circa fruticem lanugines esse tradit, linteaque ea Indicis præstantiora. Arabiæ autem arbores, ex quibus vestes faciant, cynas vocari, folio palmæ simili. Sic Indos suæ arbores vestiunt. —

14. Thura, præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem universæ. —

XXXI. Nec arboris ipsius quæ sit facies, constat. — Quod jure miremur, virgis etiam thuris ad nos commeantibus: quibus credi potest, matrem quoque terete et enodi fruticare trunco.

XXXII. Meti semel anno solebat, minore occasione vendendi. Jam quæstus alteram vindemiam affert. Prior atque naturalis vindemia circa lanis ortum flagrantissimo æstu, incidentibus quæ maximè videatur esse prægnans, tenuissimusque tendi cortex. Laxatur hic plagâ, non adimitur. Inde prosilit spuma pinguis. Hæc concreta densatur, ubi loci natura poscat, tegete palmeâ excipiente, aliubi areâ circumpatitâ. Purius illo modo, sed hoc ponderosius. Quod in arbore hæsit, ferro depectitur, ideo corticosum. —

Quod ex eo rotunditate guttæ pependit, masculum vocamus. — Præcipua autem gratia est mammoso, cùm hærente lacrimâ priore consecuta alia miscuit se. — Alexandro Magno in pueritiâ sine parsimoniâ thura ingerenti aris, pædagogus Leonides dixerat, ut illo modo, cum devicisset thuriferas gentes, supplicaret. At ille Arabiâ potitus, thure onustam navem misit ei, exhortatus ut largè deos adoraret.

Thus — probatur candore, amplitudine, fragilitate, carbone, ut statim ardeat. Item ne dentem recipiat potiùs quàm in micas frietur.

XXXIII. 15. Myrrham in iisdem sylvis permixtam

arborem nasci tradidere aliqui, plures separatim : quippe multis in locis Arabiæ gignitur. —

XXXV. 16. — Probatio est minutis glebis, nec rotundis, in concretu albicantis succi et tabescentis : utque fracta candidos unguis habeat, gustu leniter amara. —

XXXVI. 17. — Mastiche, quæ et ex aliâ spinâ fit in Indiâ, itemque in Arabiâ. — Laudatissima autem Chia candida, cujus pretium in libras xx. nigræ verò XII. Chia e lentisco traditur gigni gummi modo : adulteratur, ut thura, resinâ. —

XXXVIII. Hæc sunt peculiaria Arabiæ : et pauca præterea communia, alibi dicenda, quoniam in iis vincitur. Peregrinos ipsa mirè odores et ad externos petit. Tanta mortalibus suarum rerum satietas est, alienarumque aviditas. —

XL. — Adeò nulla est voluptas, quæ non assiduitate fastidium pariat.

LIV. 25. Sed omnibus odoribus præfertur balsamum, uni terrarum Judææ concessum, quondam in duobus tantùm hortis, utroque regio, altero jugerum xx. non ampliùs, altero pauciorum. Ostendêre arbusculam hanc urbi imperatores Vespasiani. Clarumque dictu, a Pompeio Magno in triumpho arbores quoque duximus. Servit nunc hæc, et tributa pendit cum suâ gente. — Sæviere in eam Judæi, sicut in vitam quoque suam. Contra defendêre Romani, et dimicatum pro frutice est. Seritque nunc eam fiscus : nec unquam fuit numerosior, aut procerior. —

Inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis. Ferro lædi vitalia odit. Emoritur protinus, eadem amputari supervacua patiens. Incidentis manus libratur artificis temperamento, ne quid ultra corticem violet.

Succus e plagâ manat, quem opobalsamum vocant, suavitatis eximiæ, sed tenui gutta ; ploratu, lanis parva colligitur in cornua. Ex his novo fictili conditur. —

## LIBER XIII.

XXI. Nondum palustria attigimus, nec frutices amnium. Prius tamen quàm digrediamur ab Ægypto, et papyri natura dicetur, cùm chartæ usu maximè humanitas vitæ constet et memoria. Et hanc Alexandri Magni victoriâ repertam, auctor est M. Varro, conditâ in Ægypto Alexandriâ. Antea non fuisse chartarum usum: in palmarum foliis primò scriptitatum: deinde quarumdam arborum libris. Postea publica monumenta plumbeis voluminibus: mox et privata linteis confici cœpta, aut ceris. Pugillarium enim usum fuisse etiam ante Trojana tempora invenimus apud Homerum. Illo verò prodente, ne terra quidem ipsa, quæ nunc Ægyptus, intelligitur: (cùm in Sebennytico saltem ejus nomen non nisi charta nascatur:) postea adaggerata Nilo. Siquidem a Pharo insulâ, quæ nunc Alexandriæ ponte jungitur, noctis dieique velifico navigiî cursu terram fuisse prodidit. Mox æmulatione circa bibliothecas regum Ptolemæi et Eumenis, supprimentes chartas Ptolemæo, idem Varro membranas Pergamî tradidit repertas. Postea promiscuè patuit usus rei, quâ constat immortalitas hominum.

XXII. Papyrus ergo nascitur in palustribus Ægypti, aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagatæ stagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiali radicis obliquæ crassitudine, triangulis lateribus, decem non ampliùs cubitorum longitudine in gracilitatem fastigatum, thyrsi modo cacumen includens semine nullo, aut usu ejus alio, quàm floris ad deos coronandos. Radicibus incolæ pro ligno utuntur: nec ignis tantùm gratiâ, sed ad alia quoque utensilia vasorum. Ex ipso quidem papyro navigia texunt: et e libro vela, tegetesque, nec non et vestem, etiam stragulam, ac funes. Mandunt quoque crudum, decoctumque, succum tantùm devorantes. Nascitur et in Syriâ, circa quem odoratus ille calamus, lacum. Neque aliis usus est, quàm inde, funibus rex Antigonus in navalibus

rebus, nondum sparto communicato. Nuper et in Euphrate nascens circa Babylonem papyrus intellectum est eundem usum habere chartæ. Et tamen adhuc malunt Parthi vestibus literas intexere.

XXIII. 12. Præparantur ex eo chartæ, diviso acu in prætenues, sed quàm latissimas philuras. Principatus medio, atque inde scissuræ ordine. Hieratica appellatur antiquitus, religiosis tantùm voluminibus dicata, quæ ablutione Augusti nomen accepit: sicut secunda Liviæ a conjugè ejus. Ita descendit hieratica in tertium nomen. Proximum amphitheatricæ datum fuerat a confecturæ loco. Excepit hanc Romæ Fannii sagax officina, tenuatamque curiosâ interpolatione principalem fecit a plebeiâ, et nomen ei dedit. Quæ non esset ita recurata, in suo mansit amphitheatrica. Post hanc Saitica, ab oppido, ubi maxima fertilitas, ex vilioribus rementis: propiorque etiamnum cortici Leneotica, a vicino loco, pondere jam hæc, non bonitate, venalis. Nam emporetica inutilis scribendo, involucris chartarum, segestriumque in mercibus usum præbet: ideo a mercatoribus cognominata. Post hanc papyrus est, extremumque ejus scirpo simile, ac ne funibus quidem, nisi in humore, utile.

Texuntur omnes, madente tabulâ Nili aquâ: turbidus liquor glutinis præbet vicem. Primò supinâ tabulâ scheda adlinitur, longitudine papyri, quæ potuit esse reseginibus utrimque amputatis: transversa postea crates peragit. Premitur deinde prælis, et siccantur Sole plagulæ, atque inter se junguntur, proximarum semper bonitatis diminutione ad deterrimas. Numquam plures scapo, quàm vicenæ.

XXIV. Magna in latitudine earum differentia: XIII. digitorum optimis: duo detrahuntur hieraticæ: Fanniana denos habet: et uno minùs amphitheatrica: pauciores Saitica: nec malleo sufficit: nam emporeticæ brevitatis sex digitos non excedit. Præterea spectantur in chartis, tenuitas, densitas, candor, levor. Primum mutavit Claudius Cæsar: nimia quippe Augustæ tenuitas tolerandis non sufficiebat calamis. Ad hoc transmittens literas lituræ metum adferebat ex aver-

sis: et aliàs indecoro visu petranslucida. Igitur e secundo corio statumina facta sunt: e primo, subtemina. Auxit et latitudinem. Pedalis erat mensura, et cubitalis macrocollis: sed ratio deprehendit vitium, unius schedæ revulsione plures infestante paginas. Ob hæc prælata omnibus Claudia (Augustæ in epistolis auctoritas relicta: Liviana suam tenuit) cui nihil primæ erat, sed omnia secundæ.

XXV. Scabritia lævigatur dente, conchâve: sed caducæ literæ fiunt. Minùs sorbet politurâ charta, magis splendet. Rebellat sæpe humor incuriosè datus primò, malleoque deprehenditur, aut etiam odore, cùm fuerit indiligentior. Deprehenditur et lentigo oculis: sed inserta mediis glutinamentis tænia, fungo papyri bibula, vix nisi literâ fundente se: tantùm inest fraudis. Alius igitur iterum texendis labor.

XXVI. Glutinum vulgare e pollinis flore temperatur fervente aquâ, minimo aceti aspersu: nam fabrile, gummisque fragilia sunt. Diligentior cura: mollia panis fermentati colata aquâ fervente: minimùm hoc modo intergerii: atque etiam lini lenitas superatur. Omne autem glutinem, nec vetustius esse debet uno die, nec recentius. Postea malleo tenuatur, et iterum glutino percurritur, iterumque constricta erugatur, atque extenditur malleo. Ita sunt longinqua monumenta Tiberii Caiique Gracchorum manûs, quæ apud Pomponium Secundum vatem civemque clarissimum vidi annos fere post cc. Jam verò Ciceronis, ac divi Augusti, Virgilioque sæpenumero videmus. —

XXVIII. 14. Æthiopia, Ægypto contermina, insignes arbores non fere habet, præter laniferas, quarum natura in descriptione Indorum, atque Arabia dicta est. Propior tamen huic natura lanæ, majorque folliculus granati modo mali: similesque et inter se arbores ipsæ. —

XXXIV. Circa Carthaginem Punicum malum cognomine sibi vindicat: aliqui granatum appellant. — Nucleos habentium quinque species: dulcia, acria, mixta, acida, vinosa. — Corticis major usus ex acerbis ad perficienda coria. Flos balaustium vocatur,

medicinis idoneus, et tinguendis vestibis, quarum color inde nomen accepit. ———

XLVII. Frutex est et cytissus, ab Aristomacho Atheniensi miris laudibus prædicatus pabulo ovium, aridus verò etiam suum: spondetque jugero ejus annua H.—s. vel mediocri solo redditus. Utilitas, quæ ervo, sed ocior satietas, perquam modico pinguescente quadrupede, ita ut jumenta hordeum spernant. Non ex alio pabulo lactis major copia aut melior super omnia pecudum medicinâ a morbis omni usu præstante. Quin et nutricibus in defectu lactis aridum, atque in aquâ decoctum, potui cum vino dari jubet: firmiores celsioresque infantes fore. Viridem etiam gallinis, aut si aruerit, madefactum. Apes quoque numquam defore cytissi pabulo contingente, promittunt Democritus et Aristomachus. Nec aliud minoris impendii est. Seritur cum hordeo: aut vere semine ut porrum: vel caule, autumno ante brumam. Si semine, madidum: et si desint imbres, satum spargitur. Plantæ cubitales seruntur scrobe pedali. Seritur per æquinoclia tenero frutice: perficitur triennio: demetitur verno æquinoclio, cùm florere desinit, vel pueri, vel anûs vilissimâ operâ. Canus aspectu, breviterque, si quis exprimere similitudinem velit, angustioris trifolii frutex. Datur animalibus post biduum semper: hieme verò quod inaruit, madidum. Satiant equos denæ libræ, et ad portionem minora animalia. ———

---

## LIBER XIV.

I. Externæ arbores, indocilesque nasci alibi, quàm ubi cœpere, et quæ in alias non commeant terras, hactenus fere sunt. Licetque jam de communibus loqui, quarum omnium peculiaris parens videri potest Italia. Noscentes tantùm meminerint, naturas earum a nobis interim dici, non culturas: quamquam et colendi maximè in naturâ portio est. Illud satis mirari non queo, interiisse quarundam memoriam, atque

etiam nominum, quæ auctores prodidere, notitiam. Quis enim non communicato orbe terrarum, majestate Romani imperii, profecisse vitam putet commercio rerum ac societate festæ pacis, omniaque etiam quæ occulta antè fuerant, in promiscuo usu facta? At hercules non reperiuntur, qui norint multa ab antiquis prodita: tantò priscorum cura fertilior, aut industria felicior fuit, ante millia annorum inter principia literarum Hesiodo præcepta agricolis pandere orso, subsecutisque non paucis hanc curam ejus, unde nobis crevit labor: quippe cùm requirenda sint non solùm postea inventa, verum etiam ea, que invenerant prisci, desidiâ rerum internecone memoriæ inductâ. Cujus somni causas quis alias, quàm publicas mundi, invenerit? Nimirum alii subiere ritus, circaque alia mentes hominum detinentur, et avaritiæ tantùm artes coluntur. Antea inclusis gentium imperiis intra ipsas, ideoque et ingeniis, quadam sterilitate fortunæ, necesse erat animi bona exercere: regesque innumeri honore artium colebantur, et in ostentatione has præferebant opum, immortalitatem sibi per illas prorogari arbitantes. Quare abundabant et præmia, et opera vitæ. Posteris laxitas mundi et rerum amplitudo damno fuit: postquam senator censu legi cœptus, judex fieri censu, magistratum ducemque nihil magis exornare, quàm census: postquam cœpere orbitas in auctoritate summâ et potentiâ esse, captatio in quæstu fertilissimo, ac sola gaudia in possidendo, pessum iere vitæ precia; omnesque a maximo bono liberales dictæ artes, in contrarium cecidere, ac servitute solâ perfici cœptæ. Hanc alius alio modo, et in aliis adorare: eodem tamen habendique ad spes, omnium tendente voto. Passim verò etiam egregii aliena vitia, quàm bona sua colere malle. Ergo hercules voluptas vivere cœpit, vita ipsa desiit. Sed nos oblitterata quoque scrutabimur: nec deterrebit quarumdam rerum humilitas, sicut nec in animalibus fecit. Quamquam videmus Virgilium præcellentissimum vatem, eâ de causâ hortorum dotes fugisse: et e tantis, quæ retulit, flores modò rerum decerpisse, beatum felicemque gratiæ,



xv. omnino generibus uvarum nominatis, tribus oleæ, totidem pirorum, malo verò tantum Assyrio, ceteris omnibus neglectis.

II. Unde autem potius incipiemus, quàm a vitibus? quarum principatus in tantum peculiaris Italiæ est, ut vel hoc uno omnia gentium vicisse, quàm odorifera, possit videri bona: quamquam ubicumque pubescentium odori nulla suavitas præfertur.

I. Vites jure apud priscos magnitudine quoque inter arbores numerabantur. Jovis simulacrum in urbe Populonio ex unâ conspicimus, tot ævis incorruptum: item Massiliæ pateram. Metaponti templum Junonis vitigineis columnis stetit. Etiam nunc scalis tectum Ephesiæ Dianæ scanditur unâ vite Cypriâ, ut ferunt, quoniam ibi ad præcipuam amplitudinem exeunt. Nec est ligno ulli æternior natura. Verùm ista ex sylvestribus facta crediderim. —

III. Namque genera magnitudine, colore, saporibus, acinis, innumera, etiamnum multiplicantur vino. Hic purpureo lucent colore, illic fulgent roseo, nitentque viridi. Candicans enim nigerque vulgares. Tument verò mammaram modo bumasti. Prælongis dactyli porriguntur acinis. Est illa naturæ lascivia, ut prægrandibus adhæreant parvi, mites, et suavitate certantes: leptoragas has vocant. Durant aliæ per hiemes, pensili concameratæ nodo. Aliæ in suâ tantum continentur animâ ollis fictilibus, et insuper doliis inclusæ, stipatæ vinaceis circumsudantibus. Aliis gratiam, qui et vinis, fumus adfert fabrilis; iisque gloriam præcipuam in fornacibus Africæ Tiberii Cæsaris auctoritas fecit. Ante eum Rætici prior mensa erat, et uvis Veronensium agro. Quin et a patientiâ nomen acinis datur passis. Conduntur et musto uvæ, ipsæque vino suo inebriantur. Aliæ decoctæ in musto dulcescunt: aliæ verò sobolem novam in matre ipsâ exspectant translucidæ vitro: additque acinis eandem, quam in doliis amphorisve, duratricem illam firmitatem austeritas picis infusa pediculo. Jam inventa per se in vino picem resipiens, Viennensem agrum nobilitans, Arverno, Sequanoque et Helvico generibus non pridem

illustrata. Atque hæc Virgilit vatis ætate incognita, a cujus obitu xc. aguntur anni. Quid quòd insertæ castris summam rerum imperiumque continent? Centurionum in manu vitis, et opimo præmio, tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat. Nec non vineæ oppugnationum dedere rationem. Nam in medicaminibus adeò magnum obtinent locum, ut per sese vino ipso remedia sint.

IV. 2. Genera vitium numero comprehendi posse unus existimavit Democritus, cuncta sibi Græciæ cognita professus. Ceteri innumera atque infinita esse prodiderunt, quod verius apparebit ex vinis. ———

V. 4, Catonum ille primus, triumpho et censurâ super cetera insignis, magis tamen etiamnum claritate literarum, præceptisque omnium rerum expetendarum datis generi Romano, inter prima verò agrum colendi, illius ævi confessione optimus ac sine æmulo agricola, pauca attigit vitium genera, quarumdam ex iis jam etiam nominibus abolitis. Separatim toto tractatu sententia ejus indicanda est, ut in omni genere noscamus quæ fuerint celeberrima, anno sexcentesimo Urbis, circa captas Carthaginem ac Corinthum, cùm supremum is diem obiit, et quantum postea ccxxx. annis vita profecerit. ———

Ergo de vitibus uvisque ita prodidit: “ Qui locus vino optimus dicetur esse, et ostentus Solibus, Aminæum minusculum, et geminum eugenium, helvinum minusculum conserito. Qui locus crassior aut nebulosior, Aminæum majus, aut Murgentinum, Apicium, Lucanum serito. Ceteræ vites miscellæ maximè in quemvis agrum conveniunt. In lorâ rectè conduntur. Quas suspendas duracinas, Amineas majores: vel ad fabrum ferrarium pro passis hæ rectè servantur.” Nec sunt vetustiora de illâ re Latinæ linguæ præcepta: tam probè ab origine rerum sumus. ———

VII. 5. Vino natura est, hausto accendendi calore viscera intus, foris infuso refrigerandi. Nec alienum fuerit commemorare hoc in loco, quod Androcydes sapientiâ clarus ad Alexandrum Magnum scripsit, intem-

perantiam ejus cohibens: " Vinum poturus, rex, memento te bibere sanguinem terræ: cicuta hominum venenum est, cicutæ vinum." Quibus præceptis si ille obtemperavisset, profectò amicos in temulentiam non interemisisset. Prorsus ut jure dici possit, neque viribus corporis utilius aliud, neque aliud voluptatibus perniciosius, si modus absit. —

13. Non licebat id feminis Romæ bibere Invenimus inter exempla, Egnatii Mecenii uxorem, quòd vinum bibisset, e dolio, interfectam fusti a marito, eumque cædis a Romulo absolutum. Fabius Pictor in Annalibus suis scripsit: " matronam quòd loculos, in quibus erant claves vinarie cellæ, resignavisset, a suis inedia mori coactam." Cato, " ideo propinquos feminis osculum dare, ut scirent an temetum olerent." Hoc tum nomen vino erat: unde et temulentia appellata. Cn. Domitius judex pronuntiavit mulierem videri plus bibisse, quàm valetudinis causâ, viro insciente, et dote multavit. Diuque ejus rei magna parsimonia fuit. L. Papius imperator adversus Samnites dimicaturus votum fecit, si vicisset, Jovi pocillum vini. Denique inter dona sextarios lactis datos invenimus, nusquam vini. Idem Cato cum in Hispaniam navigaret, unde cum triumpho rediit: " Non aliud, inquit, vinum bibi, quam remiges:" in tantum dissimilis istis, qui etiam convivis alia, quàm sibimetipsis ministrant, aut procedente mensâ subjiciunt. —

XVII. — " L. Lucullus puer apud patrem numquam lautum convivium vidit, in quo plus semel Græcum vinum daretur. Ipse cum rediit ex Asiâ, millia cadum in congiarium divisit amplius centum. C. Sentius, quem prætorem vidimus, Chium vinum domum suam illatum dicebat tum primùm, cum sibi cardiaco medicus dedisset. Hortensius super decem millia cadum hæredi reliquit." Hactenus Varro.

15. Quid? non et Cæsar dictator triumpho sui cenâ vini Falerni amphoras, Chii cados in convivia distribuit? Idem Hispaniensi triumpho Chium et Falernum dedit. Epulo verò in tertio consulatu suo, Falernum, Chium, Lesbium, Mamertinum: quo primùm tempore

quatuor genera vini apposita constat. Postea ergo alia omnia in nobilitatem venerunt, circiter septingentesimum Urbis annum. ———

XXVIII. 22. Ac si quis diligentius reputet, in nullâ parte operosior vita est, ceu non saluberrimum ad potum aquæ liquorem natura dederit, quo cetera omnia animantia utuntur. At nos vinum bibere et jumenta cogimus: tantoque opere, tanto labore et impendio constat, quod hominis mentem mutet, ac furorem gignat, millibus scelerum huic deditis: tantâ dulcedine, ut magna pars non aliud vitæ præmium intelligat. Quin immo ut plus capiamus, sacco frangimus vires: et alia irritamenta excogitantur: ac bibendi etiam causâ venena conficiuntur, aliis cicutam præsummentibus, ut bibere mors cogat, aliis pumicis farinam, et quæ referendo pudet docere. Cautissimos ex his balineis coqui videmus, exanimesque efferri. Jam verò alios lectum exspectare non posse, immo verò nec tunicam, nudos ibi protinus anhelos ingentia vasa corripere, velut ad ostentationem virium, ac plenè infundere, ut statim vomant, rursusque hauriant, idque iterum tertiumque: tamquam ad perdenda vina geniti, et tamquam effundi illa non possint, nisi per humanum corpus. Ad hoc pertinent peregrinæ exercitationes, et volutatio in cœno, ac pectorosa cervicis repandæ ostentatio. Per omnia hæc prædicatur sitis quæri. Jam verò quæ vasa adulteriis cælata? tamquam per se parum doceat libidines temulentia. Ita vina ex libidine hauriuntur, atque etiam præmio invitatur ebrietas, et si diis placet, emitur. Alius, ut quantum biberit tantum edat, pretium vinolentiæ lege accipit. Alius quantum aleâ quæsierit, tantum bibit. Tunc avidi matronam oculi licentur, graves produnt marito: tunc animi secreta proferuntur. Alii testamenta sua nuncupant: alii mortifera loquuntur, rediturasque per jugulum voces non continent, quàm multis ita interemptis. Vulgòque veritas jam attributa vino est. Interea ut optimè cedat, Solem orientem non vident, ac minùs diu bibunt. Hinc pallor, et genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus, effundentes plena vasa, et

(quæ sit pœna præsens) furiales somni, et inquietas nocturna, præmiumque summum ebrietatis libido portentosa, ac jucundum nefas. Posterâ die ex ore halitus cadi, ac fere rerum omnium oblivio, morsque memoriæ. Rapere se ita vitam prædicant, cùm priorem diem quotidie perdant, illi verò, et venientem.

Tiberio Claudio principe ante hos annos XL. institutum, ut jejuni biberent, potusque vini antecederet cibos: externis et hoc artibus, ac medicorum placitis novitate aliquâ sese commendantium. Gloriam hac virtute Parthi quærunt, famam apud Græcos Alcibiades meruit, apud nos cognomen etiam Novellius Torquatus Mediolanensis, ad proconsulatum usque e præturâ honoribus gestis, tribus congiis (unde et cognomen illi fuit) epotis uno impetu, spectante miraculi gratiâ Tiberio principe, in senectâ jam severo, atque etiam sævo aliâs; sed ipsa juvenia ad merum pronior fuerat. Eâque commendatione credidit L. Pisonem Urbis Romæ curæ ab eo delectum, quòd biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum jam principem. Nec alio magis Drusus Cæsar regenerasse patrem Tiberium ferebatur. Tergilla Ciceroni M. F. binos congios simul haurire solitum ipsi objicit: Marcoque Agrippæ a temulento scyphum impactum. Etenim hæc sunt ebrietatis opera. Sed nimirum hanc gloriam auferre Cicero voluit interfectori patris sui M. Antonio. Is enim ante eum avidissimè adprehenderat hanc palmam, edito etiam volumine de suâ ebrietate: quo patrocinari sibi ausis, adprobavit planè (ut equidem arbitror) quanta mala per temulentiam terrarum orbi intulisset. Exiguo tempore ante prælium Actiacum id volumen evomuit: quo facilè intelligatur ebrius jam sanguine civium, et tantò magis eum sitiens. Namque et hæc necessitas vitium comitatur, ut bibendi consuetudo augeat aviditatem. —

XXIX. Est et Occidentis populis sua ebrietas, fruge madidâ: pluribus modis per Gallias Hispaniasque, nominibus aliis, sed ratione eâdem. Hispaniæ jam et vetustatem ferre ea genera docuerunt. Ægyptus quoque e fruge sibi potus similes excogitavit: nullâque in

parte mundi cessat ebrietas: meros quippe hauriunt tales succos, nec diluendo, ut vina, mitigant. At hercules illic tellus fruges parere videbatur. Heu, miravitiorum solertia, inventum est quemadmodum aqua quoque inebriaret. Duo sunt liquores corporibus humanis gratissimi, intus vini, foris olei, arborum e genere ambo præcipui, sed olei necessarius. ———

---



---

## LIBER XV.

I. I. Oleam Theophrastus e celeberrimis Græcorum auctoribus, Urbis Romæ anno circiter ccccxl. negavit nisi intra xl. millia passuum a mari nasci: Fenestella verò omnino non fuisse in Italiâ, Hispaniâ, atque Africâ, Tarquinio Prisco regnante, ab annis populi Romani clxxxiii. quæ nunc pervenit trans Alpes quoque, et in Gallias Hispaniasque medias. ———

II. ——— Genera earum tria dixit Virgilius, orchites, et radios, et pausias: nec desiderare rastros, aut falces, ullamve curam. Sine dubio et in iis solum maximè, cælumque refert. Verumtamen et tondentur, cùm et vites: atque etiam interradi gaudent.

Consequens earum vindemia est arsque vel major, olei musta temperandi. Ex eadem quippe olivâ differunt succi. Primum omnium e crudâ atque nondum inchoatæ maturitatis: hoc sapore præstantissimum. Quin et ex eo prima unda præli laudatissima, ac deinde per diminutiones: sive, (ut nuper inventum est,) exilibus regulis pede incluso. Quantò maturior bacca, tantò pinguior succus, minùsque gratus. Optima autem ætas ad decerpendum, inter copiam bonitatemque incipiente baccâ nigrescere. ———

III. 2. Vetustas oleo tædium adfert, non item ut vino: plurimùmque ætatis, annuo est, providâ (si libeat intelligere) naturâ: quippe temulentia nascentibus vinis uti necesse non est: quin immo invitat ad servandum blanda inveterati caries: oleo noluit parci, fecitque eâ necessitate promiscuum et vulgo. ———

3. Olivæ constant nucleo, oleo, carne, amurcâ: sanies hæc est ejus amara. Fit ex aquis, ideo siccitatibus minima: riguis copiosa. Suus quidem olivæ succus oleum est idque præcipuè ex immaturis intelligimus. —

V. 4. Oleo natura tepefacere corpus, et contra algores munire: eidemque fervores capitis refrigerare. Usum ejus ad luxuriam vertêre Græci, vitiorum omnium genitores, in gymnasiis publicando. Notum est, magistratus honoris ejus, octogenis sestertiis strigmenta olei vendidisse. Oleæ honorem Romana majestas magnum præbuit, turmas equitum Idibus Juliis ex eâ coronando: item minoribus triumphis ovantes. Athenæ quoque victores oleâ coronant, Græci verò oleastro Olympiæ. —

IX. 9. Reliqui arborum fructus vix specie figurâve, non modò saporibus, succisque toties permixtis atque insitis, enumerari queunt. —

X. 11. — Mala quæ vocamus cotonea, et Græci cydonia, ex Cretâ insulâ advecta. Incurvatos trahunt ramos, prohibentque crescere parentem. Plura eorum genera: chrysomela, incisuris distincta, colore ad aurum inclinato. Quæ candidiora, nostratia cognominata, odoris præstantissimi. —

XI. 11. — Persicorum palma duracinis. Nationum habent cognomen Gallica, et Asiatica. Post autumnum maturescunt, æstate præcocia, intrâ xxx. annos reperta, et primò denariis singula venundata. — Pomum innocuum expetitur ægris: pretiumque jam singulis triceni nummi fuere, nullius majore: quod miremur, quia non aliud fugacius. Longissima namque decerpto bidui mora est: cogitque se venundari.

XII. 13. Ingens postea turba prunorum: versicolor, nigra, candida, hordearia appellata, a comitatu frugis ejus. — Sunt et nigra, ac laudatiora cerina, atque purpurea. Nec non ab externâ gente Armeniaca, quæ sola et odore commendantur. — In peregrinis arboribus dicta sunt Damascena, a Syriæ Damascocognominata, jam pridem in Italiâ nascentia. —

XIV. 14. Malorum plura sunt genera. ———

XV. ——— Conditoribus suis æternam propagaverunt memoriam, tamquam ob egregium aliquod in vitâ factum. Nisi fallor, apparebit ex eo ingenium inse-  
rendi: nihilque tam parvum esse, quod non gloriam parere possit. ———

XVI. 15. Eadem causa in piris taxatur superbiæ cognomine. Parva hæc, sed ocissima. Cunctis autem Crustumia gratissima. Proxima iis Falerna, a potu, quoniam tanta vis succi abundat: (lacte hoc vocatur): in iisque alia colore nigro donantur Syriæ. Reliquorum nomina aliter in aliis atque aliis locis appellantur. ———

XVII. ——— Turbinatior piris figura. In iis serotina ad hiemem usque ad matrem pendent gelu maturescentia, Græca, ampullacea, laurea: sicut in malis Amerina, Scandiana. Conduntur verò pira, ut uvæ, ac totidem modis. ———

XVIII. 16. In universum verò de pomis servandis præcipitur: pomaria in loco frigido ac sicco contabulari: septemtrionalibus fenestris sereno die patere: Austros specularibus arcere, Aquilonis quoque adflatu poma deturpante rugis. Colligi mala post æquinoctium autumnale, neque ante XVI. Lunam, neque ante primam horam. Cadiva separari: stramentis, storeis, paleisve substerni. Rara componi, ut limites pervii spiritum æqualem accipiant. ———

XIX. 18. E reliquo genere pomorum ficus amplissima est, quædamque et piris magnitudine æmula. ———

Tot subiere nomina atque genera, ut vel hoc solùm æstimantibus appareat, mutatam esse vitam. ———

XX. Sed a Catone appellata jam tum Africana, admonet et Africæ, ad ingens documentum uso eo pomo. Namque perniciali odio Carthaginis flagrans, nepotumque securitatis anxius, cùm clamaret omni senatu Carthaginem delendam, attulit quodam die in curiam præcocem ex eâ provinciâ ficum: ostendensque patribus "interrogo vos, inquit, quando hanc pomum demptam putetis ex arbore?" Cùm inter omnes recentem esse constaret: "Atqui tertium, inquit, ante diem scitote



decerptam Carthagine: tam propè a muris habemus hostem." Statimque sumptum est Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta est: quamquam Catone anno sequente raptò. Quid primum in eo miremur? curam ingenii, an occasionem fortuitam, celeritatemque cursûs, an vehementiam viri? Supra omnia est, quo nihil equidem duco mirabilius, tantam illam urbem, et de terrarum orbe per cxx. annos æmulam, unius pomi argumento eversam: quod non Trebia, aut Trasymenus, non Cannæ busto insignes Romani nominis perficere potuere: non castra Punica ad tertium lapidem vallata, portæque Collinæ adequitans ipse Annibal. Tantò propiùs Carthaginem pòmo Cato admovit. ———

XXI. 19. Admirlis est pomi hujusce festinatio, unius in cunctis ad maturitatem properantis arte naturæ. Caprificus vocatur e sylvestri genere ficus numquam maturescens, sed quod ipsa non habet, aliis tribuens: quoniam est naturalis causarum transitus, atque e putrescentibus identidem generatur aliquid. Ergo culices parit: hi fraudati alimento in matre, putri ejus tabe, ad cognatam volant: morsuque ficorum crebro, hoc est, avidiore pastu aperientes ora earum, atque ita penetrantes, intus Solem primò secum inducunt, cerealesque auras immittunt foribus adapertis. ———

Ficis mollis omnibus tactus: maturis frumenta intus: succus maturescentibus lactis, percoctis mellis. Senescunt in arbore, anusque distillant gummium lacrimâ. Siccas honos laudatas servat in capsis, Ebuso insulâ præstantissimas amplissimasque, mox in Marrucinis. At ubi copia abundat, implentur orcæ in Asiâ, cadi autem in Ruspinâ Africæ urbe: panisque simul et obsonii vicem siccatae implent: utpote cùm Cato cibaria ruris operariis justâ ceu lege sanciens, minui jubeat per fici maturitatem. ———

XXIV. 22. ——— Nuces juglandes: ——— gemino protectæ operimento, pulvinati primùm calycis, mox lignei putaminis. Quæ causa eas nuptiis fecit religiosas, tot modis fetu munito. ———

Solum hoc pomum natura compactili operimento clausit. Namque sunt bifidæ putaminum carinæ,

nucleorumque alia quadripartita distinctio, ligneam intercurante membranâ. Ceteris quidquid est, solidum est, ut in avellanis, et ipso nucum genere, quas antea Abellinas patrio nomine appellabant. In Asiam Græciamque e Ponto venire, et ideo Ponticæ nuces vocantur. Has quoque mollis protegit barba. Sed putamini nucleisque solida rotunditas inest. Eæ et torrentur. Umbilicus illis intus in ventre medio. Tertia ab his natura amygdalis, tenuiore, sed simili juglandium summo operimento: item secundo putaminis. Nucleus dissimilis latitudine, et acriore callo. —

XXV. 23. Nuces vocamus et castaneas, quamquam accommodatiores glandium generi. Armatum iis echinato calyce vallum, quod inchoatum glandibus. Mirumque, vilissima esse quæ tanta occultaverit cura naturæ. Trini quibusdam partus ex uno calyce, cortexque lentus. Proxima verò corpori membrana, et in his, et in nucibus saporem, ni detrahatur, infestat. Torrere has in cibus gratius. —

XXVII. — Moris succus, in carne vinosus: trini colores, candidus primò, mox rubens, maturis niger. In novissimis florent, inter prima maturescunt. Tingunt manus succo matura, eluunt acerba. — Nascuntur et in rubis, multum differente callo. —

XXX. 25. Cerasi ante victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italiâ, ad Urbis annum DCLXXX. Is primùm vexit e Ponto: annisque CXX. trans Oceanum in Britanniam usque pervenere. — Inter prima hoc e pomis colono grâtiâ annuam refert. Septemtrione frigidisque gaudet: Siccatur etiam Sole, conditurque ut oliva cadis. —

XXXVII. — Myrtus — bellicis se rebus inseruit: triumphansque de Sabinis Postumius Tubertus in consulatu (qui primus omnium ovans ingressus Urbem est), quoniam rem leviter sine cruore gesserat, myrto Veneris Victricis coronatus incessit, optabilemque arborem etiam hostibus fecit. Hæc postea ovantium fuit corona. —

XXXIX. 30. Laurus triumphis propriè dicatur, vel gratissima domibus, janitrix Cæsarum pontificumque:

sola et domos exornat, et ante limina excubat. Duo ejus genera tradit Cato: Delphicam et Cypriam. Pompeius Lenæus adjecit quam mustacem appellavit, quoniam mustaceis subjiceretur. Hanc esse folio maximo, flaccidoque et albicante: Delphicam æquali colore, viridiorem, maximis baccis atque e viridi rubentibus. Hac victores Delphis coronari, et triumphantes Romæ. Cypriam esse folio brevi, nigro, per margines imbricato, crispam. Postea accessere genera. —

Est et chamædaphne silvestris frutex. — Hic frutex est ramosus, crassiore ac molliore, quàm laurus, folio: cujus gustatu accenditur os atque guttur, baccis e nigro rufis. —

XL. Ipsa pacifera, ut quam prætendi etiam inter armatos hostes quietis sit indicium. Romanis præcipuè lætitiæ victoriarumque nuntia additur literis, et militum lanceis, pilisque. Fasces imperatorum decorat. Ex his in gremio Jovis optimi maximique deponitur, quoties lætitiâ nova victoria attulit. —

Sunt et circa divum Augustum eventa ejus digna memoratu. Namque Liviæ Drusillæ, quæ postea Augusta matrimonii nomen accepit, cùm pacta esset illa Cæsari, gallinam conspicui candoris sedenti aquila ex alto abjecit in gremium illæsam: intrepidèque miranti accessit miraculum, quoniam teneret rostro laureum ramum onustum suis baccis. Conservari alitem et sobolem jussere aruspices, ramumque eum seri, ac rite custodiri. Quod factum est in villâ Cæsarium, fluvio Tiberi impositâ juxta nonum lapidem Flaminiâ viâ, quæ ob id vocatur Ad gallinas. —

---

## LIBER XVI.

I. — Proximum est narrare glandiferas quoque, quæ primæ victum mortalium aluerunt, nutrices inopis ac feræ sortis. —

3. Glandiferi maximè generis omnes, quibus honos apud Romanos perpetuus.

III. 4. Hinc civicæ coronæ, militum virtutis insignè clarissimum : jam pridem verò et clementiæ imperatorum, postquam civilium bellorum profano, meritum cœpit videri, civem non occidere. Cedunt his muralles vallaresque, et aureæ, quamquam pretio antecedentes. Cedunt et rostratæ, quamvis in duobus maximè ad hoc ævi celebres : M. Varrone e piraticis bellis, dante Magno Pompeio : itemque M. Agrippâ, tribuente Cæsare e Siculis, quæ et ipsa piratica fuere. —

V. — Civica iligna primò fuit, postea magis placuit ex esculo Jovi sacra. Variatumque et cum quercu est, ac data ubique, quæ fuerat, custodito tantùm honore glandis. Additæ leges arctæ, et ideo superbæ — “Civem servare, hostem occidere : utque eum locum, in quo sit actum, hostis obtineat eo die, ut servatus fateatur : aliàs testes nil prosunt. Ut civis fuerit : auxilia, quamvis rege servato, decus id non dant. Nec crescit honos idem imperatore conservato : quoniam conditores in quocumque cive summum esse voluere. Acceptâ licet uti perpetuò. Ludos ineunti semper adsurgi, etiam ab senatu, in more est. Sedendi jus in proximo senatui. Vacatio munerum omnium ipsi, patrique, et avo paterno.” Quatuordecim eas accepit Siccus Dentatus : sex Capitolinus. Is quidem et de duce Servilio. Africanus de patre accipere noluit apud Trebiam. O mores æternos, qui tanta opera honore solo donaverint : et cùm reliquas coronas auro commendarent, salutem civis in pretio esse noluerint : clarè professi, ne servari quidem hominem fas esse lucrî causâ!

VI. 5. Glandes opes esse nunc quoque multarum gentium etiam pace gaudentium constat. Necnon et inopiâ frugum arefactis molitur farina, spissaturque in panis usum. Quin et hodieque per Hispanias, secundis mensis glans inseritur. Dulcior eadem in cinere tosta. — Genera earum multa. — Alia fageæ glandi figura, alia quernæ, et alia ilignæ : atque inter se quoque generum singulorum differentiæ. —

VII. 6. Fagi glans nucleis similis, triangulâ cute includitur. Folium tenue, atque e levissimis, populo simile,

celerrimè flavescens : et mediâ parte plerumque gignens supernè parvulam baccam viridam, cacumine aculeatam. Fagi glans muribus gratissima est, et ideo animalis ejus unâ proventus : glires quoque saginat : expetitur et turdis. Arborum fertilitas omnium fere alternat, sed maximè fagi.

VIII. Glandem, quæ propriè intelligitur, ferunt robur, quercus, esculus, cerrus, ilex, suber. Continentur hispido calyce, per genera plus minùs cutem complectente. Folia, præter ilicem, gravia, carnosâ, procera, sinuosa lateribus, nec cùm cadunt, flavescunt, ut fagi : pro differentiâ generum breviora, vel longiora. Ilicis duo genera. Ex iis in Italiâ folio non multùm ab oleis distant. — In provinciis sunt aquifoliæ. Ilicis glans utriusque brevior et gracilior, quam Homerus acylon appellat, eoque nomine a glande distinguit. Masculas ilices negant ferre.

Glans optima in quercu, atque grandissima : mox esculo : nam roboris parva : cerro tristis, horrida, echinato calyce, ceu castaneæ. —

In ipsis verò arboribus, quæ maximam fert, hemeris vocatur, brevior, et in orbem comosa, alasque ramorum crebrò, cavata. Fortius lignum quercus habet et incorruptius : ramosa et ipsa : procerior tamen, et crassior caudice. —

Glans fagea suam hilarem facit, carnem coquibilem, ac levem, et utilem stomacho : iligna, suam angustam, nitidam, strigosam, ponderosam : querna, diffusam : gravissima et ipsa glandium, atque dulcissima.

IX. Quæ glandem ferunt, omnes et gallam, alternisque annis glandem. Sed gallam hemeris optimam, et coriis perficiendis aptissimam. —

XIII. — Suberi minima arbor, glans pessima, rara : cortex tantùm in fructu, præcrassus ac renascens, atque etiam in denos pedes undique explanatus. Usus ejus ancoralibus maximè navium, piscantiumque tragulis, et cadorum obturamentis : præterea in hiberno feminarum calceatu. Quamobrem non infacetè Græci corticis arborem appellant. —

XV. 10. Scandulæ robore aptissimæ, mox eglandi -

feris aliis fagoque: facillimæ ex omnibus quæ resinam ferunt: sed minimè durant, præterquam e pino. Scandulâ contectam fuisse Romam, ad Pyrrhi usque bellum, annis CCCCLXX. Cornelius Nepos auctor est. Silvarum certè distinguebatur insignibus. Fagutali Jovi etiam nunc, ubi lucus fageus fuit: portâ Querquetulanâ: colle in quem vimina petebantur, totque lucis, quibusdam et geminis. Q. Hortensius dictator, cùm plebs secessisset in Janiculum, legem in Esculeto tulit, ut "quod ea jussisset, omnes Quirites teneret." —

XVI. — Pinus atque abies, omnesque quæ picem gignunt — folium habent capillamenti modo prætenue, longumque, et mucrone aculeatum. Pinus fert minimum resinæ, interdum et nucibus ipsis, de quibus dictum est, vixque ut adscribatur generi.

XVII. Pinaster nihil aliud est, quàm pinus silvestris, mirâ altitudine, et a medio ramosa, sicut pinus in vertice. Copiosiore dat hæc resinam, quo dicemus modo: Gignitur et in planis. —

XVIII. Picea montes amat, atque frigora. — Hæc plurimam resinam fundit, interveniente candidâ gemmâ, tam simili thuris, ut mixta visu discerni non queat. —

XIX. Quinto generi situs idem, eadem facies: larix vocatur. Materies præstantior longè, incorrupta vis, mori contumax: rubens præterea, et odore acrior. Plusculum huic erumpit liquoris, melleo colore, atque lentiore, numquam durescentis.

Sextum genus est teda propriè dicta, abundantior succo quàm reliqua, parcioire liquidioreque quàm in piceâ: flammis ac lumini sacrorum etiam grata. —

XX. Similis his etiamnum aspectu est, ne quid prætereatur, taxus, minimè virens, gracilisque et tristis, ac dira, nullo succo, ex omnibus sola baccifera. Mas noxio fructu. Letale quippe baccis, in Hispaniâ præcipuè, venenum inest. Vasa etiam viatoria ex eâ vinis in Galliâ facta, mortifera fuisse compertum est. Hanc Sextius smilacem a Græcis vocari dixit: et esse in Arcadiâ tam præsentis veneni, ut qui obdormiant sub eâ, cibumve capiant, moriantur. Sunt qui et taxica

hinc appellata dicant venena, quæ nunc toxica dicimus, quibus sagittæ tinguantur. Repertum, innoxiam fieri, si in ipsam arborem clavus æreus adigatur.

XXI. 11. Pix liquida in Europâ e tædâ coquitur, navalibus muniendis, multosque alios ad usus. Lignum ejus concisum, furnis undique igni extrâ circumdato, fervet: primus sudor aquæ modo fluit canali: hoc in Syriâ cedrium vocatur: cui tanta vis est, ut in Ægypto corpora hominum defunctorum eo perfusa serventur.

XXII. Sequens liquor, crassior jam, picem fundit. ———

XXIV. 13. Materiæ enim causâ reliquas arbores naturagenuit, copiosissimamque fraxinum. Procera hæc ac teres: pinnata et ipsa folio: multumque Homeri præconio, et Achillis hastâ nobilitata. Materies est ad plurima utilis. ———

XXV. 14. In tilia ——— inter corticem ac lignum tenues tunicæ multiplici membranâ, e quibus vincula, tiliæ vocantur: tenuissimæ earum philyræ, coronarum lemniscis celebres, antiquorum honore. Materies teredinem non sentit, proceritate perquam modicâ, verum utilis.

XXVI. 15. Acer ejusdem fere amplitudinis, operum elegantiam ac subtilitate citro secundum. Plura ejus genera. Album quod præcipui candoris, vocatur Gallicum, in Transpadanâ Italiâ, transque Alpes nascens. Alterum genus crispo macularum discursu, qui cum excellentior fuit, a similitudine caudæ pavonum nomen accepit, in Istriâ, Rætiâque præcipuum. ———

XXVIII. In primis verò materies honorata buxo est, rarò crispanti, nec nisi radice: ceterò lenis quies materiæ, silentio quodam, et duritie, ac pallore commendabilis: in ipsâ verò arbore topiario opere. ———

LXII. 34. Edera ——— inimica arbori, satisque omnibus: sepulcra, muros rumpens: serpentium frigori gratissima, ut mirum sit ullum honorem habitum ei. ———

LXIV. 36. Inter ea, quæ frigidis gaudent, et aquaticos frutices dixisse conveniat. Principatum in his tenebunt arundines, belli pacisque experimentis neces-

sariæ, atque etiam deliciis gratæ. Tegulo earum domus suas septemtrionales populi operiunt, durantque ævis tecta alta. Et in reliquo verò orbe cameras levisimè suspendunt. — Cæterò gracilitas nodis distincta, leni fastigio tenuatur in cacumina, crassiore paniculæ comâ neque hac supervacuâ. Aut enim pro plumâ strata cauponarum replet: aut ubi lignosiore callo induruit, sicut in Belgis, contusa, et interjecta navium commissuris, ferruminat textus, glutino tenacior, rimisque explendis fidelior pice.

LXV. Calamis Orientis populi bella conficiunt: calamis spicula addunt irrevocabili hamo noxia. Mortem adcelerant pinnâ additâ calamis. Fitque et ex ipso telum aliud fracto in vulneribus. His armis Solem ipsum obumbrant. — Arundini quidem Indicæ arborea amplitudo: quales vulgò in templis videmus. — Navigiorumque etiam vicem præstant (si credimus) singula internodia. —

Arundo omnis ex unâ stirpe numerosa, atque etiam recisa fecundiùs resurgit. Radix naturâ vivax, geniculata et ipsa. Folia Indicis tantùm brevia. Omnibus verò a nodo orsa complexu tenues per ambitum inducunt tunicas: atque a medio internodio, cùm plurimùm desinunt vestire, procumbuntque. Latera arundini calamoque in rotunditate bina, super nodos alternos semper inguine, ut alterum ad dextra fiat, alterum superiore geniculo ad læva per vices. Inde exeunt aliquando rami, qui sunt calami tenues. —

37. Salice — nulla aquaticarum utilior, licet populi vitibus placeant, et Cæcuba educent: licet alni sepibus muniant, contraque erumpentium amnium impetus, riparum muro in tutelâ ruris excubent in aquâ satæ, cæsæque densiùs innumero herede prosint.

LXVIII. Salicis statim plura genera. Namque et in proceritatem magnam emittunt jugis vinearum perticas, pariuntque baltheo corticis vincula: et aliæ virgas sequacis ad vincturas lentitiæ. Aliæ prætenues viminibus texendis spectabili subtilitate. Rursus aliæ firmiores corbis, ac plurimæ agricolarum supellectili: candidiores ablato cortice, lenique tractatu, vilioribus



vasis, quàm ut e corio fiant: atque etiam supinarum in delicias cathedrarum aptissimæ. Cædua salici fertilitas, densior tonsura, ex brevi pugno veriùs, quàm ramo: non, ut remur, in novissimis curandâ arbore. Nullius quippe tutior est redivisus, minorisve impendii, aut tempestatum securior. —

XCII. Ederâ necari arbores certum est. Simile quiddam et in visco: tametsi tardiozem earum injuriam arbitrantur: namque et hoc præter fructus agnoscitur non in novissimis mirabile. Quædam enim in terrâ gigni non possunt, et in arboribus nascuntur. Namque cum suam sedem non habeant, in alienâ vivunt, sicut viscum. Est et in Syriâ herba quæ vocatur cadytas, non tantum arboribus, sed ipsis etiam spinis circumvolvens sese. —

XCIII. Visci tria genera. Namque in abiete ac larice stelin dicit Eubœa nasci, hyphear Arcadia. Viscum autem in quercu, robore pruno silvestri terebintho, nec aliis arboribus adnasci, plerique. Copiosissimum in quercu, quod dryos hyphear vocant. —

XCIV. Non est omittenda in eâ re et Galliarum admiratio. Nihil habent Druidæ (ita suos appellant magos) visco, et arbore, in quâ gignatur (si modò sit robur) sacratius. Jam per se roborum eligunt lucos; nec ulla sacra sine eâ fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione Græcâ possint Druidæ videri. Enimvero quidquid adnascatur illis, e cælo missum putant, signumque esse electæ ab ipso deo arboris. Est autem id rarum admodum inventu, et repertum magnâ religione petitur: et ante omnia sextâ Lunâ, quæ principia mensium annorumque his facit, et sæculi post tricesimum annum, quia jam virium abundè habeat, nec sit sui dimidia. Omnia sanantem appellantes suo vocabulo, sacrificiis epulisque rite sub arbore comparatis, duos admovent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primùm vinciantur. Sacerdos candidâ veste cultus arborem scandit: falce aureâ demetit: candido id excipitur sago. Tum deinde victimas immolant, precantes ut suum donum deus prosperum

faciat his quibus dederit. Fecunditatem eo potō dari quicumque animalium sterili arbitrantur; contra venena omnia esse remedio. Tanta gentium in rebus frivolis plerumque religio est.

---

---

### LIBER XVII.

XXII. 14. Semine quoque inserere natura docuit, raptim avium fame devorato, solidoque, et alvi tepore madido, cum fecundo fimi medicamine abjecto in mollibus arborum lecticis, et ventis sæpe translato in aliquas corticum rimas: unde vidimus cerasum in salice, platanum in lauro, laurum in ceraso, et baccas simul discolorēs. Tradunt et monedulam condentem semina in thesauros cavernarum, ejusdem rei præbere causas.

XXIII. Hinc nata inoculatio, sutoriæ simili fistulâ aperiendi in arbore oculus cortice exciso, semenque includendi eadem fistulâ sublato ex aliâ. In ficis autem et malis hæc fuit inoculatio antiqua. Virgiliana quærit sinum in nodo gemmæ expulsi corticis, gemmamque ex aliâ arbore includit. Et hactenus natura ipsa docuit.

XXIV. Insitionem autem casus, magister alius, et pæne numerosior, ad hunc modum. Agricola sedulus casam sepi munimento cingens, quò minùs putrescerent sudes, limen subdidit ex ederâ. At illæ vivaci morsu adprehensæ, suam ex alienâ fecere vitam, apparuitque truncum esse pro terrâ. Aufertur ergo serrâ æqualiter superficies: levigatur falce truncus. Ratio postea duplex: Et prima inter corticem lignumque inserendi. Timebant prisci truncum findere: mox inforare ausi medio: ipsique in eo medullæ calamum imprimebant, unum inserentes, neque enim plures capiebat medulla. Subtilior postea ratio vel senos adjicit, mortalitati eorum et numero succurrere persuasa, per media trunco leniter fisso, cuneoque tenui fissuram custodiente, donec cuspidatim decisis descendat in rimam calamus. —

XXVI. 16. Emplastratio et ipsa ex inoculatione nata videri potest. Crasso autem maximè cortici convenit, sicut est ficis. Ergo amputatis omnibus ramis, ne succum avocent, nitidissimâ in parte, quâque præcipua cernatur hilaritas, exemptâ scutulâ (ita ne descendat ultra ferrum) cortici, imprimitur ex aliâ cortex par, cum sui germinis mammâ: sic compage densata, ut cicatrici locus non sit, et statim fiat unitas, nec humorem, nec adflatum recipiens; nihilominus tamen et luto munire, et vinculo melius. —

---



---

### LIBER XVIII.

III. 3. Jugum vocabatur, quod uno jugo boum in die exarari posset. Actus, in quo boves agerentur cum aratro, uno impetu justo. Hic erat cxx. pedum: duplicatusque in longitudinem jugerum faciebat. Dona amplissima imperatorum ac fortium civium, quantam quis uno die plurimùm circumaravisset. Item quartarii faris, aut heminæ, conferente populo. Cognomina etiam prima inde, Pilumni, qui pilum pistrinis invenerat: Pisonis, a pisendo. Jam Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum, ut quisque aliquod optimè genus sereret. Juniorum familiæ Bubulcum nominarunt, qui bubus optimè utebatur. Quin et in sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat: novæque nuptæ farreum præferabant. Agrum malè colere, censorium probrum judicabatur. Atque (ut refert Cato) quem virum bonum colonum dixissent, amplissimè laudasse existimabant. Hinc et locupletes dicebant, loci, hoc est, agri plenos. Pecunia ipsa a pecore appellabatur. Etiam nunc in tabulis censoriis pascua dicuntur omnia ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat. Multatio quoque non nisi ovium boumque impendio dicebatur: non omittendâ priscarum legum benevolentia. Cautum quippe est, ne bovem, priusquam ovem, nominaret, qui indiceret multam. Ludos boum causâ celebrantes, Bubetios vocabant. Servius rex, ovium

boumque effigie primus æs signavit. Frugem quidem aratro quæsitam furtim noctu pavisse, ac secuisse, puberi XII. tabulis capitale erat: suspensumque Cererine necari jubebant, gravius quam in homicidio convictum: impubem prætoris arbitrato verberari, noxiamque duplione decerni.

Jam distinctio honosque civitatis ipsius non aliunde erat. Rusticæ tribus laudatissimæ eorum, qui rura haberent. Urbanæ verò, in quas transferri ignominia esset, desidiæ probro. Itaque quatuor solæ erant a partibus Urbis, in quibus habitabant Suburrana, Palatina, Collina, Esquilina. Nundinis Urbem revisitabant, et ideo comitia nundinis habere non licebat, ne plebs rustica avocaretur. Quies somnusque in stramentis erat. Gloriam denique ipsam a farris honore adorem appellabant. —

VIII. — Nequeo mihi temperare, quominus unum exemplum antiquitatis adferam, ex quo intelligi possit, apud populum etiam de culturis agendi morem fuisse, qualiterque defendi soliti sint illi viri. C. Furius Cresinus e servitute liberatus, cum in parvo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas, in invidiam magnam erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem a Sp. Albino curuli die dicta, metuens damnationem, cum insufragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, et adduxit familiam validam, atque (ut ait Piso) bene curatam ac vestitam, ferramenta egregie facta, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos. Postea dixit: "Veneficia mea, Quirites, hæc sunt: nec possum vobis ostendere aut in forum adducere lucubrationes meas, vigiliasque, et sudores." Omnium sententiis absolutus itaque est. Profecto, opera, non impensa, cultura constat. Et ideo majores fertilissimum in agro oculum domini esse dixerunt; [frontemque plus prodesse quam occipitium. c. VI. 5.] —

Reliqua præcepta reddentur suis locis, quæ propria generum singulorum erunt. Interim communia, quæ succurrunt, non omitteremus. Et in primis Catonis

humanissimum et utilissimumque, "Id agendum, ut diligant vicini." Causas reddit ille : nos existimamus nulli esse dubias. Inter prima idem cavet, ne familiæ malæ sint. Nihil serò faciendum in agriculturâ omnes censent, iterumque suo quæque tempore facienda. Ex tertio præcepto, prætermissa frustrà revocari. —

IX. 7. Et quoniam præparatus est ager, natura nunc indicabitur frugum. Sunt autem duo prima earum genera. Frumenta, ut triticum, hordeum : et legumina, ut faba, cicer. Differentia verò notior quàm ut indicari deceat. —

XIX. 8. Frumenti genera non eadem ubique : nec ubi eadem sunt, iisdem nominibus. Vulgatissima far, quod adorem veteres appellavere, siligo, triticum, —

Ex omni genere durissimum far, et contra hiemes firmissimum. —

XX. Tritici semine avidius nullum est, nec quod plus alimenti trahat. Siliginem propriè dixerim tritici delicias. —

9. E siligine lautissimus panis, pistrinarumque opera laudatissima. —

XXVI. 11. Milii præcipuus ad fermenta usus, e musto subacti in annum tempus. Simile fit ex tritici ipsius furfuribus minutis et optimis, e musto albo triduò maturato subactis, ac sole siccatis. Inde pastillos in pane faciendo dilutos, cum similagine seminis fervefaciunt, atque farinæ ita miscent, sic optimum panem fieri arbitantes. —

[XII. Galliæ et Hispaniæ frumento in potum resolutum, quibus diximus generibus, spumâ ita concretâ pro fermento utuntur. Quâ de causâ levior illis, quàm ceteris, panis est.] — Nunc fermentum fit ex ipsâ farinâ, quæ subigitur priùs quàm addatur sal, ad pulvis modum decocta, et relicta donec acescat. Vulgò verò nec suffervefaciunt, sed tantum pridie adservatâ materiâ utuntur. Palamque est naturam acore fermentari. —

XXVII. Panis ipsius varia genera persequi supervacuum videtur : aliàs ab obsoniis appellati, ut ostrearii : aliàs a deliciis, ut artolagani : aliàs a festinatione, ut

speustici: necnon a coquendi ratione, ut furnacei, vel artopticii, aut in clibanis cocti. ———

XXVIII. Pistores Romæ non fuere ad Persicum usque bellum, annis ab Urbe conditâ super DLXXX. Ipsi panem faciebant Quirites, mulierumque id opus erat, sicut etiam nunc in plurimis gentium. ———

XXX. 12. Sequitur natura leguminum, inter quæ maximus honos fabæ: quippe ex quâ tentatus sit etiam panis. Lomentum appellatur farina ea, adgravaturque pondus illâ et omni legumine. Jam verò et pabulo venalis fabæ multiplex usus omnium quadrupedum generi, præcipuè homini. Frumento etiam miscetur apud plerasque gentes. ——— Quin et prisco ritu fabata suæ religionis diis in sacro est, prævalens pulmentari cibo et hebetare sensus existimata, insomnia quoque facere. Ob hæc Pythagoricæ sententiæ damnata: ut alii tradidere, quoniam mortuorum animæ sint in eâ. Quâ de causâ parentando utique adsumitur. Varro et ob hæc flaminem eâ non vesci tradit, et quoniam et in flore ejus literæ lugubres reperiuntur. ———

XXXI. Ex leguminibus autem Novembri seruntur lens, et cicer, et pisum, et vicia. ———

LXXVIII. 35. ——— Ventorum ——— primum a Sole capiemus præsagia. Purus oriens, atque non fervens serenum diem nunciat: at hibernam pallidus grandinem. Si et occidit pridie serenus, et oritur, tantò certior fides serenitatis. Concavus oriens pluvias prædicit: Idem ventos, cùm ante exorientem eum nubes rubescunt: quod si et nigræ rubentibus intervenerint, et pluvias. Cùm orientis atque occidentis radii rubent, coire pluvias. Si circa occidentem rubescunt nubes, serenitatem futuræ diei spondent. Si in exortu spargentur, partim ad Austrum, partim ad Aquilonem, pura circa eum serenitas sit licet, pluviam tamen ventosque significabunt. Si in ortu aut in occasu contracti cernentur radii, imbrem. Si in occasu ejus pluet, aut radii in se nubem trahent, asperam in proximum diem tempestatem significabunt. Cùm oriente radii non illustres eminebunt, quamvis circumdati nube non sint,

pluviam portentent. Si ante exortum nubes globabuntur, hiemem asperam deunciabunt. Si ab ortu repellentur, et ad occasum abibunt, serenitatem. Si nubes Solem circumcludent, quantò minùs luminis relinquent, tantò turbidior tempestas erit: si verò etiam duplex orbis fuerit, eò atrocior. Quòd si in exortu fiet, ita ut rubescant nubes, maxima ostendetur tempestas. Si non ambibunt, sed incumbent, à quocumque vento fuerint, eum portentent. Si a meridie, et imbrem. Si oriens cingetur orbe, ex quâ parte is se aperit, expectetur ventus. Si totus defluerit æqualiter, serenitatem dabit. Si in exortu longè radios per nubes porriget, et medius erit inanis, pluviam significabit. Si ante ortum radii se ostendent, aquam et ventum. Si circa occidentem candidus circulus erit, noctis levem tempestatem: si nebula, vehementiorem: si candente Sole, ventum: si ater circulus fuerit, ex quâ regione is ruperit se, ventum magnum. —

LXXXII. Nubes cùm sereno cælo feruntur, a quacumque parte id fiet, expectentur venti: si eodem loco globabuntur, adpropinquante Sole discutientur. Et hoc si ab Aquilone fiat, ventos: si ab Austro, imbres portentent. Sole occidente, si ex utraque parte ejus cælum petent, tempestatem significabunt. Vehementiùs atræ ab oriente, in noctem aquam minantur: ab occidente, in posterum diem. Si nubes, ut vellera lanæ, spargentur multæ ab oriente, aquam in triduum præsentient. Cùm in cacuminibus montium nubes consistent, hiemabit. Si cacumina pura fient, disserenabit. Nube gravidâ candicante, quod vocant tempestatem albam, grando imminebit. Cælo quamvis sereno, nubecula quamvis parva flatum procellosum dabit.

LXXXIII. Nebulæ e montibus descendentes, aut cælo cadentes, vel in vallibus sidentes, serenitatem promittunt.

LXXXIV. Ab his terreni ignes proximè significant: pallidi namque, murmurantesque, tempestatum nuncii sentiuntur, pluviae etiam, in lucernis fungi. Si flexuosè volitet flamma, ventum. Et lumina cùm ex sese flammæ elidunt, aut vix accenduntur. Item cùm in eo

pendentes coacervantur scintillæ: vel cùm tollentibus ollas carbo adhærescit: aut cùm contactus ignis e se favillam discutit, scintillamve emittit: vel cùm cinis in foco concrevit, et cùm carbo vehementer perlucet.

LXXXV. Est et aquarum significatio. Mare si tranquillum in portu a cursu stabit, et murmuraverit intra se, ventum prædicat. Si idem, et hiemem, et imbrem. Litora ripæque si resonabunt tranquillo, asperam tempestatem: item maris ipsius tranquillo sonitus, spumæve dispersæ, aut aquæ bullantes. Pulmones marini in pelago, plurium dierum hiemem portendunt. Sæpe et silentio intumescit, flatuque altiùs solito jam intra se esse ventos fatetur.

LXXXVI. Equidem et montium sonitus, nemorumque mugitus prædicant: et sine aurâ, quæ sentiatur, folia ludentia. Lanugo populi, aut spinæ, volitans; aquisque pluma innatans. Atque etiam in campis tempestatem venturam præcedens suus fragor: cæli quidem murmur non dubiam habet significationem.

LXXXVII. Præsagiunt et animalia. Delphini tranquillo mari lascivientes, flatum, ex quâ veniunt parte: item spargentes aquam turbato, tranquillitatem. Loligo volitans, conchæ adhærescentes, echini adfigentes sese, aut arenâ saburrantes, tempestatibus signa sunt. Ranæ quoque ultra solitum vocales. Et fulicæ matutino clangore. Item mergi, anatesque, pennas rostro purgant, ventum: Cæteræque aquaticæ aves concursantes: Grues in mediterranea festinantes: Mergi maria aut stagna fugientes. Grues silentio per sublime volantes, serenitatem: sic noctua in imbre garrula: at sereno, tempestatem: Corvique singultu quodam latrantes, seque concutientes, si continuabunt, ventos: si vero carptim vocem resorbebunt, ventosum imbrem. Graculi serò a pabulis recedentes, hiemem. Et albæ aves, cùm congregabuntur. Et cùm terrestres volucres contra aquam clangores dabunt, perfundentes sese: sed maximè cornix. Hirundo tam juxta aquam volitans, ut penna sæpe percutiat. Quæque in arboribus habitant, fugitantes in nidis suis. Et anseres continuo clangore intempestivi. Ardea in mediis arenis tristis. —



## LIBER XIX.

I. Siderum quoque tempestatumque ratio, vel imperitis, facili atque indubitato modo monstrata est: verèque intelligentibus non minùs conferunt rura deprehendendo cælo, quàm sideralis scientia agro colendo. Proximam multi hortorum curam fecere: nobis non protinus transire ad ista tempestivum videtur. Miramurque quosdam scientiæ gratiâ, eruditionis suæ gloriam ex his petentes, tam multa præteriisse, nullâ mentione habitâ tot rerum sponte curâve provenientium, præsertim cùm plerisque earum, pretio usuque vitæ, major etiam quàm frugibus, perhibeatur auctoritas. Atque ut a confessis ordiamur utilitatibus, quæque non solum terras omnes, verùm etiam maria replevere: seritur, ac dici neque inter fruges, neque inter hortensia potest, linum. Sed in quâ non occurret vitæ partè, quodve miraculum majus, herbam esse quæ admoveat Ægyptum Italiæ: in tantum, ut Galerius a freto Siciliæ Alexandriam septimâ die pervenerit, Babillus sextâ, ambo præfecti: æstate verò proximâ Valerius Marianus ex prætoriis senatoribus, a Puteolis nono die lenissimo flatu? herbam esse, quæ Gades ad Herculis columnas septimo die Ostiam adferat, et citeriorem Hispaniam quarto, provinciam Narbonensem tertio, Africam altero: quod etiam mollissimo flatu contigit C. Flavio legato Vibii Crispi proconsulis? Audax vita, scelerum plena: aliquid seri, ut ventos procellasque recipiat: et parum esse fluctibus solis vehi. Jam verò nec vela satis esse majora navigiis. Sed quamvis amplitudini antennarum singulæ arbores sufficiant, super eas tamen addi velorum alia vela: præterque alia in proris, et alia in puppibus pandi, ac tot modis provocari mortem. Denique tam parvo semine nasci, quod orbem terrarum ultro citroque portet, tam gracili avenâ, tam non altè a tellure tolli: neque id viribus suis necti, sed fractum tusumque et in mollitiam lanæ coactum, injuriâ ac summa audaciâ, eò pervenire. —

II. 1. Seritur sabulosis maximè, unoque sulco: nec magis festinat aliud. Vere satum æstate vellitur, et hanc quoque terræ injuriam facit. Ignoscat tamen aliquis Ægypto serenti, ut Arabiæ Indiæque merces importet: itane et Galliæ censentur hoc reditu, montesque mari oppositos esse non est satis, et a latere Oceani obstare ipsum quod vocant inane? Cadurci, Caleti, Ruteni, Bituriges, ultimique hominum existimati Morini, immo verò Galliæ universæ vela texunt. Jam quidem et Transrhenani hostes: nec pulchriorem aliam vestem eorum feminæ novere. —

III. — Maturitas ejus duobus argumentis intelligitur, intumescente semine, aut colore flavescente. Tum evulsum, et in fasciculos manuales colligatum, siccatur in sole, pendens conversis supernè radicibus uno die, mox quinque aliis, in contrarium inter se versis fascium cacuminibus, ut semen in medium cadat. Inter medicamina huic vis, et in quodam rustico ac prædulci Italiæ Transpadanæ cibo, sed jam pridem sacrorum tantum gratiâ. Deinde post messem triticeam virgæ ipsæ merguntur in aquam solibus tepefactam, pondere aliquo depressæ: nulli enim levitas major. Maceratas indicio est membrana laxatior. Iterumque inversæ, ut priùs, sole siccantur: mox arefactæ in saxo tunduntur stupario malleo. Quod proximum cortici fuit, stupa appellatur, deterioris lini, lucernarum fere luminibus aptior. Et ipsa tamen pectitur ferreis hamis, donec omnis membrana decorticetur. Medullæ numerosior distinctio, candore, mollitiâ. Linumque nere et viris decorum est. Cortices quoque decussi clibanis et furnis præbent usum. Ars depectendi digerendique: justum e quinquagenis fascium libris quinasdenas carminari. Iterum deinde in filo politur, illisum crebrò in silice ex aquâ: textumque rursus tunditur clavis, semper injuriâ melius.

IV. Inventum jam est etiam, quod ignibus non absumeretur. Vivum id vocant, ardentisque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendentibus igni magis, quàm possent aquis. Regum inde funebres tunicæ, corporis favillam ab reliquo separant

cinere. Nascitur in desertis adustisque sole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes: adsuescitque vivere ardendo, rarum inventu, difficile textu propter brevitatem. Rufus de cetero colos, splendescit igni. Cùm inventum est, æquat pretia excellentium margaritarum. Vocatur autem a Græcis asbestinum ex argumento naturæ. —

XIX. 4. — Superest reverti ad hortorum curam, et suapte naturâ memorandam, et quoniam antiquitas nihil priùs mirata est, quàm Hesperidum hortos, ac regum Adonis et Alcinoi: itemque pensiles, sive illos Semiramis, sive Assyriæ rex Cyrus fecit, de quorum opere alio volumine dicemus. Romani quidem reges ipsi coluere. Quippe etiam superbus Tarquinius nuncium illum sævum atque sanguinarium filio remisit ex horto. In XII. tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa, semper in significatione eâ hortus: in horto verò heredium. — Romæ quidem per se hortus ager pauperis erat. —

Hinc primùm agricolæ æstimabantur prisci, et sic statim faciebant iudicium, nequam esse in domo matrem familias (etenim hæc cura feminæ dicebatur) ubi indiligens esset hortus: quippe e carnario, aut macello vivendum esse. — Quamobrem sit aliquis et his honos, neve auctoritatem rebus vilitas adimat, cùm præsertim etiam cognomina procerum inde nata videamus: Lactucinosque in Valeriâ familiâ non puduisse appellari: et contingat aliqua gratia operæ curæque nostræ, Virgilio quoque confesso, quàm sit difficile verborum honorem tam parvis perhibere. —

XXI. In hortis nascentium alia bulbo commendantur, alia capite, alia caule, alia folio, alia utroque, alia semine, alia cortice, alia cute, aut cartilagine, alia carne, alia tunicis carnosis. —

XXIII. 5. Cartilaginei generis, extraque terram est cucumis, mirâ voluptate Tiberio principi expetitus. Nullo quippe non die contigit ei, pensiles eorum hortos promoventibus in solem rotis olitoribus: rursusque hibernis diebus intra specularium munimenta revocantibus. —

XXIV. Similis et cucurbitis natura, dumtaxat in nascendo. Æquè hyemem odere. Amant rigua ac fimum. — Simili modo reptantibus flagellis scandentes parietum aspera in tectum usque, naturâ sublimitatis avidâ. Vires sine adminiculo standi non sunt, velocitas pernix, levi umbrâ cameras ac pergulas operiens. —

Cucurbitarum numerosior usus. Et primus caulis in cibo. Atque ex eo in totum natura diversa. Nuper in balnearum usum venêre urceorum vice. Jam pridem verò etiam cadorum ad vina condenda. Cortex viridi tener: deraditur nihilominus in cibis. Cibos salubres ac lenes pluribus modis existimant, qui perfici humano ventre non queant, sed non intumescant. —

XXX. — Bulborum — nobilissima est scilla, quamquam medicamini nata, acetoque exacuendo. Nec ulli amplitudo major, sicut nec vis asperior. —

XXXII. Allium cepasque inter deos in jurejurando habet Ægyptus. Cepæ genera apud Græcos, Sardia, Samothracia, Alsidena, Setania, Schista, Ascalonia, ab oppido Judææ nominata. Omnibus etiam odor lachrymosus. — Omnibus corpus totum pinguitudinis earum cartilagine. —

Proxima quæ æstate nullum semen emittunt, sed caput tantum, quod inarescit. Sequenti autem anno permutatâ ratione semen gignitur, caput ipsum corrumpitur. Ergo omnibus annis separatim semen cepæ causâ seritur, separatim cepæ seminis. Servantur autem optimè in paleis. Gethyum penè sine capite est, cervicis tantum longæ, et ideo totum in fronde: sæpiusque resecatur, ut porrum. —

XXXIII. Et de porro in hac cognatione dici conveniat, præsertim cùm sectivo nuper auctoritatem dederit princeps Nero, vocis gratiâ, ex oleo statis mensium omnium diebus, nihilque aliud, ac ne pane quidem vescendo. Seritur semine ab æquinotio autumnno: si sectivum facere libuit, densius. In eadem areâ secatur, donec deficiat, stercoreturque semper. Si nutritur in capita, antequam secetur, cùm increvit, in aliam aream transfertur, summis foliis leviter recisis ante medullam: et capitibus retractis, tunicisve extremis. —

Laudatissimus in Ægypto, mox Ostiæ atque Ariciæ. — Fama est, Melam equestris ordinis reum ex procuratione a Tiberio principe accersitum, in summâ desperatione succo porri ad trium denariorum argenteorum pondus hausto, confestim exspirasse sine cruciatu. Ampliorem modum negant noxium esse.

XXXIV. Allium — asperi saporis: quò plures nuclei fuere, hoc est asperius. Tædium huic quoque halitu, ut cepis: nullum tamen coctis. —

XXXVIII. Lactuæ — diligentiores plura genera faciunt: purpureas, crispas, Cappadocas, Græcas. Longioris has folii, caulisque lati, præterea longi ut angusti, intubi similis. Pessimum autem genus cum exprobratione amaritudinis appellavere picrida. Est etiamnum alia distinctio atræ, quæ meconis vocatur, a copiâ lactis soporiferi, quamquam omnes somnum parere creduntur. Apud antiquos Italiæ hoc solum genus carum fuit, et ideo lactuæ nomen adeptæ. — Est quidem natura omnibus refrigeratrix, et ideo æstate gratæ stomacho fastidium auferunt, cibique appetentiam faciunt. — Sanguinem quoque augere creduntur. —

XLI. — Cato brassicæ miras canit laudes. — Genera ejus facit tria: unam extentis foliis, caule magno: alteram crispo folio, quam apianam vocat: tertiam minutis caulibus, lenem, teneram, minimèque probat. Brassica toto anno seritur, quoniam et toto secatur. Utilissimè tamen ab æquinocio autumnii: transferturque, cùm quinque foliorum est. Cyma a primâ sectione præstat proximo vere. — Post Cymam ex eadem brassicâ contingunt æstivi autumnalesque cauliculi, mox hyberni, iterumque cymæ, nullo æquè genere multifero, donec suâ fertilitate consumatur. —

---



---

## LIBER XXI.

I. 1. In hortis seri et coronamenta jussit Cato, innarrabili florum maximè subtilitate: quando nulli potest facilius esse loqui, quàm rerum naturæ pingere,

lascivienti præsertim, et in magno gaudio fertilitatis tam variæ ludenti. Quippe reliqua usûs alimentique gratiâ genuit : ideoque sæcula annosque tribuit iis. Flores verò odoresque in diem gignit : magnâ, ut palam est, admonitione hominum, quæ spectatissimè floreant, celerrimè marcescere. Sed ne picturâ quidem sufficiente imagini colorum reddendæ, mixturarumque varietati, sive alterni atque multiplices inter se nectantur, sive privatis generum funiculis in orbem, in obliquum, in ambitum, quædam coronæ per coronas currunt. —

X. 4. Paucissima nostri genera coronamentorum inter hortensia novere, ac pæne violas rosasque tantum. Rosa nascitur spinâ veriùs, quàm frutice, in rubo quoque proveniens, illic etiam jucundi odoris, quamvis angusti. Germinat omnis primò inclusa granoso cortice. Quo mox intumescente, et in virides alabastros fastigato, paulatim rubescens dehiscit, ac sese pandit, in calycis medio sui stantis complexa luteos apices. —

Genera ejus nostri fecere celeberrima, Prænestinam et Campanam. Addidere alii Milesiam, cui sit ardentissimus colos, non excedenti duodena folia. — Differunt enim multitudine foliorum, asperitate, lævore, colore, odore. Paucissima quina folia, ac deinde numerosiora : cùm sit genus ejus, quam centifoliam vocant. —

XI. 5. Liliū rosæ nobilitate proximum est, et quadam cognatione unguenti oleique, quod lirinon appellatur. Et interpositum etiam maximè rosas decet, medio proventu earum incipiens. Nec ulli florum excelsitas major, interdum cubitorum trium, languido semper collo, et non sufficiente capitis oneri. Candor ejus eximius, foris striati, et ab angustiis in latitudinem paulatim sese laxantis effigie calathi, resupinis per ambitum labris, tenuique filo et semine, stantibus in medio crocis. —

Est flos non dissimilis illi in herbâ, quam convolvulum vocant, nascens per frutecta, nullo odore, nec crocis intus : candorem tantum referens, ac veluti naturæ rudimentum lilia facere condiscantis. —

XII. Sunt et purpurea lilia, aliquando gemino caule, carnosiore tantùm radice, majorisque bulbi, sed unius: narcissum vocant hujus alterum genus flore candido, calyce purpureo. —

XIV. 6. Violis honos proximus. Earumque plura genera. Purpureæ, luteæ, albæ: plantis omnes, ut olus, satæ. Ex iis verò, quæ sponte apricis et macris locis proveniunt, purpureæ, latiore folio, statim ab radice carnosio, exeunt: solæque Græco nomine a ceteris discernuntur, appellatæ ia, et ab his ianthina vestis. E sativis maxima auctoritas luteis. —

XXXVIII. — Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctum præferens ejus quem Apollo dilexerat, aut ex Ajacis cruore editi, ita discurrentibus venis, ut Græcarum literarum figura A I legatur inscripta. —

---

## LIBER XXXIII.

I. Metalla nunc, ipsæque opes, et rerum pretia dicentur, tellurem intus exquirente curâ multiplici modo: quippe alibi divitiis foditur, quærente vitâ aurum, argentum, electrum, æs: alibi deliciis gemmas et parietum digitorumque pigmenta: alibi temeritati ferrum, auro etiam gratius inter bella cædesque. Persequimur omnes ejus fibras, vivimusque super excavatam, mirantes dehiscere aliquando, aut intremiscere illam, ceu verò non hoc etiam indignatione sacræ parentis exprimi possit. Imus in viscera ejus, et in sede Manium opes quærimus, tamquam parum benignâ fertilique, quaquâ secatur. Et inter hæc minimum remediorum gratiâ scrutamur: quoto enim cuique fodiendi causa medicina est? Quamquam et hæc summâ sui parte tribuit, ut minimè parca, facilisque in omnibus quæcumque prosunt. Illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultavit atque demersit, illa quæ non nascuntur repenti. Mens ad inane evolans reputet quæ deinde futura sit finis sæculis omnibus exhauriendæ eam: quousque penetratura avaritia. Quàm innocens,

quàm beata, immo verò et delicata esset vita, si nihil aliunde, quàm supra terras, concupisceret, haberetque nonnisi quod secum est!

II. Eruitur aurum, et chrysocola juxtà, ut pretiosior videatur, non natura. Parum erat unam vitæ invenisse pestem, nisi in pretio esset auri etiam sanies. Quærebat argentum avaritia: boni consuluit interim invenisse minium, rubentisque terræ excogitavit usum. O prodiga ingenia! quot modis auximus pretia rerum? Accessit ars picturæ; et aurum argentumque cælando carius fecimus. Didicit homo naturam provocare. Auxere et artem vitiorum irritamenta. In poculis libidines celebraverunt, ac per obscenitates bibere. Abjecta deinde sunt hæc, et sordere cœpere: et auri argentique nimium fuit. Murrhina et crystallina ex eâdem terrâ effodimus, quibus pretium faceret ipsa fragilitas. Hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria existimata est, habere quod posset statim totum perire. Nec hoc fuit satis, turbâ gemmarum potamus, et smaragdis teximus calyces: ac temulentia causâ tenere Indiam juvat, et aurum jam accessio est.

III. I. Utinamque posset e vitâ in totum abdicari "auri sacra fames," ut celeberrimi auctores dixere! Proscissum est conviciis ab optimis quibusque, et ad perniciem vitæ repertum. Quantùm feliciore ævo, cùm res ipsæ permutabantur inter se, sicut et Trojanis temporibus factitatum Homero credi convenit! Ita enim (ut opinor) commercia victûs gratiâ invecta. Alios coriis boum, alios ferro captivisque rebus mutasse tradit: quamquam et ipse mirator auri, æstimationes rerum ita fecit, ut centum boum arma aurea permutasse Glaucum diceret cum Diomedis armis novem boum. Ex quâ consuetudine multa legum antiquarum pecore constat, etiam Romæ.

IV. Pessimum vitæ scelus fecit, qui id primus induit digitis. Nec hoc quis fecerit traditur. Nam de Prometheo omnia fabulosa arbitror, quamquam illi quoque ferreum anulum dedit antiquitas: vinculumque id, non gestamen, intelligi voluit. Midæ quidem anulum, quo circumacto habentem nemo cerneret, quis non etiam



fabulosiorem fateatur? Manus et prorsus sinistrae maximam auctoritatem conciliavere auro, non quidem Romanæ, quarum in more ferreum id erat, ut virtutis bellicæ, insigne. De regibus Romanis non facile dixerim. Nullum habet Romuli in Capitolio statua, nec præter Numæ Serviique Tullii alia, ac ne Lucii quidem Bruti. Hoc in Tarquiniis maximè miror, quorum e Græciâ fuit origo, unde hic anulorum usus venit: quamquam etiam nunc Lacedæmone ferreo utuntur. Sed a Prisco Tarquinio omnium primo filium, cùm in prætextæ annis occidisset hostem, bullâ aureâ donatum constat: unde mos bullæ duravit, ut eorum qui equo meruissent filii, insigne id haberent, ceteri lorum. Et ideo miror Tarquinii ejus statuam sine anulo esse. Quamquam et de nomine ipso ambigi video: Græci a digitis appellavere, apud nos prisci ungulum vocabant: postea et Græci et nostri symbolum. Longo certè tempore ne senatum quidem Romanum habuisse aureos manifestum est. Siquidem his tantùm qui legati ad externas gentes ituri essent, anuli publicè dabantur: credo, quoniam ita exterorum honoratissimi intelligebantur. Neque aliis uti mos fuit, quàm qui ex eâ causâ publicè accepissent; vulgoque sic triumphabant. —

VI. — Promiscui autem usûs secundo Punico bello: neque enim aliter potuissent trimodia illa anulorum Carthaginem ab Annibale mitti. —

Singulis primò digitis geri mos fuerat, qui sunt minimis proximi: sic in Numæ et Servii Tullii statuis videmus. Postea pollicis proximo induère, etiam deorum simulacris: dein juvat et minimo dare. Galliæ Britannicæque medio dicuntur usæ. Hic nunc solus excipitur: cæteri omnes onerantur, atque etiam privatim articuli minoribus aliis. Sunt qui tres uni minimo congerant: alii verò et huic unum tantùm, quo signantem signent. Conditus ille, ut res rara, et injuria usûs indigna, velut e sacrario promitur: et unum in minimo digito habuisse, pretiosioris in recondito supellectilis ostentatio est. Jam alii pondera eorum ostentant. Aliis plures quàm unum, gestare labor est. Alii brac-

teas infarcire levioꝛe materiâ, propter casum, tutius gemmarum sollicitudini putant. Alii sub gemmis venena cludunt, sicut Demosthenes summus Græciæ orator, anulosque mortis gratiâ habent. Denique ut plurimùm opum scelera anulis fiunt. Quæ fuit illa priscorum vita, qualis innocentia, in quâ nihil signabatur? At nunc cibi quoque ac potus anulo vindicantur a rapinâ. Hoc profecere mancipiorum legiones, et in domo turba externa, ac servorum quoque causâ nomenclator adhibendus. Aliter apud antiquos, singuli Mancipores Luciporesve dominorum gentiles, omnem victum in promiscuo habebant: nec ulla domi custodia a domesticis opus erat. Nunc rapiendæ comparantur epulæ, pariterque qui rapiant eas, et claves quoque ipsas signasse non est satis: gravatis somno aut morientibus anuli detrahuntur: majorque vitæ ratio circa hoc instrumentum esse cœpit, incertum a quo tempore. Videmur tamen posse in externis auctoritatem ejus rei intelligere, circa Polycratem Sami tyrannum, cui dilectus ille anulus in mare adjectus, capto relatus est pisce, ipso circiter ccxxx. annum Urbis nostræ interfecto. Celebratior quidem usus cum fenore cœpisse debet: argumento est consuetudo vulgi, ad sponsiones etiamnum anulo exsiliente, tracta ab eo tempore quo nondum erat arrha velocior: ut planè adfirmare possimus, nummos antè apud nos, mox cœpisse anulos. De nummis paulo pòst dicetur. —

XIII. Proximum scelus fecit, qui primus ex auro denarium signavit: quod et ipsum latet, auctore incerto. Populus Romanus ne argento quidem signato, ante Pyrrhum regem devictum usus est. Librales, (unde etiam nunc libella dicitur, et dupondius) adpendebantur asses. Quare æris gravis pœna dicta. Et adhuc expensa in rationibus dicuntur: item impendia, et dependere. Quin et militum stipendia, hoc est, stipis pondera, dispensatores, libripendes dicuntur: quâ consuetudine in his emptionibus, quæ mancipiî sunt, etiam nunc libra interponitur. Servius rex primus signavit æs. Antea rudi usos Romæ Timæus tradit. Signatum est notâ pecudum: unde et pecunia

appellata. Maximus census CX. M. assium fuit illo, rege: et ideo hæc prima classis.

Argentum signatum est anno Urbis CCCCLXXXV. Q. Ogulnio, C. Fabio, coss., quinque annis ante primum bellum Punicum. Et placuit denarium pro decem libris æris, quinarium pro quinque, sestertium pro dupondio ac semisse. Librale autem pondus æris imminutum bello Punico primo, cum impensis respublica non sufficeret: constitutumque ut asses sextantario pondere ferirentur. Ita quinque partes factæ lucris, dissolutumque æs alienum. Nota æris fuit ex alterâ parte Janus geminus, ex alterâ rostrum navis: in tridente verò et quadrante rates. Quadrans antea tertius vocatus a tribus unciis. Postea Annibale urgente Marcum Minucium, Q. Fabio Maximo dictatore, asses unciales facti: placuitque denarium sedecim assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis. Ita respublica dimidium lucrata est. In militari tamen stipendio semper denarius pro decem assibus datus. Notæ argenti fuere bigæ atque quadrigæ; et inde bigati quadrigatique dicti. Mox lege Papiriâ semunciales asses facti. Livius Drusus in tribunatu plebis octavam partem æris argento miscuit. — Aureus nummus post annum LXII. percussus est, quàm argenteus, ita ut scripulum valeret sestertiis vicenis: quod effecit in libras, ratione sestertiorum, qui tunc erant, sestertios DCCC. Post hæc placuit X. XL. signari ex auri libris: paulatimque principes imminuere pondus: minutissimè Nero ad XLV.

XIV. Sed a nummo prima origo avaritiæ, fœnore excogitata, quæstuosaque segnitia. Nec paulatim exarsit rabie quadam, non jam avaritia, sed fames auri: utpote cum Septimuleius Cæii Gracchi familiaris, auro rependendum caput ejus excisum ad Opimum tulerit, plumboque in os addito parricidio suo rempublicam etiam circumscripserit: nec jam Quiritium aliquo, sed universo nomine Romano infami, rex Mithridates Aquilio duci capto aurum in os infudit: hæc parit habendi cupido. Pudet intuentem tantum nomina ista, quæ subinde nova Græco sermone excogitantur, expresso

argenteis vasis, auro aut incluso : quibus deliciis veniunt tam inaurata quàm aurea, cùm sciamus interdixisse castris suis Spartacum, ne quis aurum haberet aut argentum. Tantò fuit plus animi fugitivis nostris. —

XV. Equidem miror populum Romanum victis gentibus in tributo semper argentum imperitasse, non aurum : sicut Carthagini cum Annibale victæ XII. M. pondo annua in quinquaginta annos, nihil auri. Nec potest videri penuriâ mundi id evenisse. Jam Midas et Cræsus in infinitum possederant. Jam Cyrus devictâ Asiâ pondo xxxiv. M. invenerat, præter vasa aurea, aurumque factum, et in eo folia ac platanum, vitemque. Quâ victoriâ argenti quingenta millia talentorum reportavit, et craterem Semiramidis, cujus pondus quindecim talenta colligebat. Talentum autem Ægyptium pondo lxxx. patere Varro tradit. (Jam regnaverat in Colchis Salauces et Esubopes, qui terram virginem nactus, plurimùm argenti aurique eruisse dicitur in Suanorum gente, et alioqui velleribus aureis inclyto regno.) Sed et illius aureæ cameræ, et argenteæ trabes narrantur, et columnæ, atque parastaticæ, victo Sesostri Ægypti rege, tam superbo, ut prodatur annis quibusque sorte reges singulos e subjectis jungere ad currum solitus, atque ita triumphare.

XVI. Et nos fecimus, quæ posteri fabulosa arbitrentur. Cæsar qui postea dictator fuit, primus in ædilitate munere patris funebri, omni apparatu arenæ argenteo usus est : ferasque argenteis hastis incessivere tum primùm noxii, quod etiam in municipiis æmulantur. C. Antonius ludos scenâ argenteâ fecit. Item L. Muræna, et Caius princeps in Circo pegma duxit, in quo fuere argenti pondo cxxiv. M. Claudius successor ejus, cùm de Britannîâ triumpharet, inter coronas aureas, VII. M. pondo habere, quam contulisset Hispania citerior, IX. C. quam Gallia Comata, titulis indicavit. Hujus deinde successor Nero, Pompeii theatrum operuit auro in unum diem, quod Tiridati regi Armeniæ ostenderet. Et quota pars ea fuit aureæ domûs ambientis urbem ? —

XVIII. Laquearia, quæ nunc et in privatis domibus auro teguntur, post Carthaginem eversam primò inaurata sunt in Capitolio, censurâ L. Mummii. Inde transiêre in cameras quoque et parietes, qui jam et ipsi tamquam vasa inaurantur : cùm sua ætas varia de Catulo existimaverit, quòd tegulas æreas Capitolii inaurasset primus.

XIX. ——— Præcipuam gratiam huic materiæ fuisse arbitror, non colore, qui in argento clarior est, magisque diei similis, et ideo militaribus signis familiarior, quoniam is longiùs fulget : manifesto errore eorum, qui colorem siderum placuisse in auro arbitrantur, cùm in gemmis aliisque rebus non sit præcipuus. Nec pondere, aut facilitate materiæ prælatum est ceteris metallis, cùm cedat per utrumque plumbo. Sed quia rerum uni nihil igne deperit, tuto etiam in incendiis rogisque. Quinimmo quò sæpius arsit, proficit ad bonitatem. Aurique experimentum ignis est, ut simili colore rubeat, ignescatque : id ipsum obrussam vocant. Primum autem bonitatis argumentum est, quàm difficillimè accendi. Præterea mirum, prunæ violentissimæ igni indomitum, paleâ citissimè ardescere : atque ut purgetur, cum plumbo coqui. Altera causa pretii major, quàm minimùm usu deteri, cùm argento, ære, plumbo, lineæ producantur, manusque sordescant deciduâ materiâ. Nec aliud laxiùs dilatatur, aut numerosiùs dividitur, utpote cujus uncia in septingenas et quinquagenas, pluresque bracteas, quaternùm utroque digitorum, spargantur. Crassissimæ ex his Prænestinæ vocantur, etiamnum retinentes nomen, Fortunæ inaurato ibi fidelissimè simulacro. Proxima bractea quæstiora appellatur. Hispania strigiles vocat auri parvulas massas, quod super omnia solùm in massâ aut ramento capitur. Cùm cetera in metallis reperta igni perficiantur, hoc statim aurum est, consummatamque materiam protinus habet, cùm ita invenitur. Hæc enim inventio ejus naturalis est : alia quam dicemus, coacta. Super cetera non rubigo ulla, non ærugo, non aliud ex ipso quod consumat bonitatem, minuatve pondus. Jam contra salis et aceti succos

domitores rerum, constantia : superque omnia netur, ac textur lanæ modo, et sine lanâ. Tunicâ aureâ triumphasse Tarquinius Priscus Verrius docet. Nos vidimus Agrippinam Claudii principis, edente eo navalis prælii spectaculum, adsidentem ei, indutam paludamento, auro textili sine aliâ materiâ. Attalicis verò jampridem intexitur, invento regum Asiæ.

XX. Marmor, et iis quæ candefieri non possunt, ovi candido illinitur : ligno, glutini ratione compositâ : leucophoron vocant. Quid sit hoc, aut quemadmodum fiat, suo loco docebimus. Æs inaurari argento vivo, aut certè hydrargyro, legitimum erat : de quibus, ut dicemus, illorum naturam reddentes, excogitata fraus est. Namque æs cruciatur in primis, accensumque restinguitur sale, aceto, alumine. Postea exarenatur, an satis recoctum sit, splendore deprehendente : iterumque exhalatur igni, ut possit edomitum, mixtis pumice, alumine, argento vivo, inductas accipere bracteas. Alumen in purgando vim habet, qualem esse diximus plumbo.

XXI. 4. Aurum invenitur in nostro orbe : ut omitamus Indicum, a formicis, aut apud Scythas gryphis erutum. Apud nos tribus modis : fluminum ramentis, ut in Tago Hispaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Páctolo Asiæ, Gange Indiæ. Nec ullum absolutius aurum est, ut cursu ipso trituque perpolitum.

Alio modo puteorum scrobibus effoditur, aut in ruinâ montium. Quare utraque ratio dicetur. Aurum qui quærunt, ante omnia segullum tollunt : ita vocatur indicium. Alveus hîc est : arenæque lavantur, atque ex eo quod resedit, conjectura capitur. Invenitur aliquando in summâ tellure protinus, rarâ felicitate : ut nuper in Dalmatiâ principatu Neronis, singulis diebus etiam quinquagenas libras fundens. Gummi inventum est in summo cespite, talutatium vocant, si et auro ea tellus subest. Ceterò montes Hispaniæ aridi sterilesque, et in quibus aliud gignatur, huic bono coguntur fertiles esse : quod puteis foditur, canalicium vocant, alii canaliense : marmoris glareæ inhærens, non illo modo, quo in Oriente sapphiro atque Thebaico,

aliisque in gemmis scintillat, sed micas amplexum marmoris. Vagantur hi venarum canales per latera puteorum, et huc illuc, inde nomine invento: tellusque ligneis columnis suspenditur. Quod effossum est, tunditur, lavatur, uritur, molitur in farinam, ac pilis cuditur. Vocant argentum, quod exit a fornace: sudorisque, qui e camino jactatur, spurcitia, in omni metallo scoria appellatur. Hæc in auro tunditur, iterumque coquitur. Catini fiunt ex tasconio. Hoc est terra alba similis argillæ. Neque enim alia flatum, ignemque et ardentem materiam tolerat.

Tertia ratio opera vicerit Gigantum. Cuniculis per magna spatia actis cavantur montes ad lucernarum lumina. Eadem mensura vigiliarum est: multisque mensibus non cernitur dies. Arrugias id genus vocant: siduntque rimæ subito; et opprimunt operatos: ut jam minùs temerarium videatur e profundo maris petere margaritas: tantò nocentiores fecimus terras. Relinquuntur itaque fornices crebri montibus sustinendis. Occursant in utroque genere silices. Hos igni et aceto rumpunt. Sæpius verò quoniam in cuniculis vapor et fumus strangulat, cædunt, fracturis CL. libras fere agentibus: egeruntque humeris noctibus ac diebus, per tenebras proximis tradentes: lucem novissimi cernunt. Si longior videtur silex, latus sequitur fossa, ambitque. Tamen in silice facilius existimatur opera. Est namque terra ex quodam argillæ genere, glareæ mixta (candidam vocant) propè inexpugnabilis. Cuneis eam ferreis aggrediuntur, et iisdem malleis: nihilque durius putant, nisi quòd inter omnia auri fames durissima est. Peracto opere, cervices fornicum ab ultimo cedunt. Dat signum ruina, eamque solus intelligit in cacumine montis ejus pervigil. Hic voce ictive evocari jubet operas, pariterque ipse devolat. Mons fractus cadit ab sese longè, fragore qui concipi humanâ mente non possit, et flatu incredibili. Spectant victores ruinam naturæ. Nec tamen adhuc aurum est: nec sciere esse, cùm fodère. Tantaque ad pericula et impendia satis fuit causæ, sperare quod cuperent.

Alius par labor, ac vel hoc majoris impendii, flumina ad lavandam hanc ruinam jugis montium ducere obiter a centesimo plerumque lapide. Corrugos vocant, a corrivatione, credo: nimirum et hîc labor est. Præcepisse libramentum oportet, ut furat is quâ influat: itaque altissimis partibus ducitur. Convallis et intervalla substructis canalibus junguntur. Alibi rupes inviæ cæduntur, sedemque trabibus cavatæ præbere coguntur. Is qui cædit, funibus pendet, ut procul intuentibus species ne ferarum quidem, sed alitum fiat. Pendentes majore ex parte librant, et lineas itineri præducunt. Itaque insistentis vestigiis hominis locus non est. Manus trahunt omne vitium in sportis. Id genus terræ urium vocant. Ergo per silices calculosve ducuntur, et urium evitant. Ad capita dejectûs in superciliis montium piscinæ cavantur: ducentos pedes in quasque partes, et in altitudinem denos. Emissaria in his quina pedum quadratorum ternûm ferè relinquuntur, et repleto stagno excussis obturamentis erumpit torrens tantâ vi, ut saxa provolvat.

Alius etiamnum in plano labor. Fossæ per quas profluat cavantur: agangas vocant: eæ sternuntur gradatim ulice. Frutex est roris marini similis, asper, aurumque retinens. Latera cluduntur tabulis, ac per prærupta suspenduntur, canali ita profluente de terrâ in mare. His de causis jam promovit Hispania. In priore genere, quæ exhauriuntur immenso labore, ne occupent puteos, in hoc rigantur. Aurum arrugiâ quæsitum non coquitur, sed statim suum est. Inveniuntur ita massæ. Nec non in puteis etiam denas excedentes libras. Palacas Hispani, alii palacurnas: iidem quod minutum est, balucem vocant. Ulex siccatus uritur, et cinis ejus lavatar substrato cespite herboso, ut sidat aurum. Vicena millia pondo ad hunc modum annis singulis Asturiam atque Gallæciam et Lusitaniam præstare quidam prodiderunt, ita ut plurimùm Asturia gignat. Neque in aliâ parte terrarum tot seculis hæc fertilitas. Italiæ parci vetere interdicto patrum diximus: alioqui nulla fecundior metallorum quoque erat tellus. Exstat lex censoria Ictimulorum aurifodinæ,



Vercellensi agro, quâ cavebatur, ne plus quinque millibus hominum in opere publicani haberent.

XXII. Aurum faciendi est etiamnum una ratio ex auripigmento, quod in Syriâ foditur pictoribus, in summâ tellure, auri colore, sed fragili, lapidum specularium modo. Invitaveratque spes Caium principem avidissimum auri: quamobrem iussit excoqui magnum pondus: et plane fecit aurum excellens, sed ita parvi ponderis, ut detrimentum sentiret, illud propter avaritiam expertus: quamquam auripigmenti libræ x. iv. permutarentur: nec postea tentatum ab ullo est.

XXIII. Omnî auro inest argentum vario pondere, alibi nonâ, alibi octavâ parte. In uno tantum Galliæ metallo, quod vocant Albucrarensis tricesima sexta portio invenitur: ideo ceteris præest. Ubicumque quinta argenti portio est, electrum vocatur. Scrobes eæ reperiuntur in canaliensi. Fit et curâ electrum argento addito. Quod si quintam portionem excessit, incudibus non resistit. Et electro auctoritas, Homero teste, qui Menelai regiam auro, electro, argento, ebore fulgere tradit. Minervæ templum habet Lindos, insulæ Rhodiorum, in quo Helena sacravit calycem ex electro. Adjicit historia, mammæ suæ mensurâ. Electri natura est, ad lucernarum lumina clariùs argento splendere. Quod est nativum, et venena deprehendit. Namque discurrunt in calycibus arcus cælestibus similes, cum igneo stridore: et geminâ ratione prædicunt.

XXIV. Aurea statua prima omnium nullâ inanitate, et antequam ex ære aliqua illo modo fieret, quam vocant holosphyraton, in templo Anaitidis posita dicitur, (quo sit situ terrarum nomen hoc significavimus,) numine gentibus illis sacratissimo. Direpta est Antonii Parthicis rebus. Scitumque narratur dictum unius veteranorum Bononiæ, hospitali divi Augusti cenâ, cum interrogaretur, "essetne verum, eum qui primus violasset hoc numen, oculis membrisque captum exspirasse?" Respondit enim, "tum maximè Augustum de crure ejus cenare, seque illum esse, totumque sibi censum ex eâ rapina." Hominum primus, et auream statuum et solidam Gorgias Leontinus Delphis in tem-

plo sibi posuit, LXX. circiter Olympiade. Tantus erat docendæ oratoriæ artis quæstus.

XXXI. 6. Ab his argenti metalla dicantur, quæ sequens insania est. Non nisi in puteis reperitur, nullâque sui spe nascitur: nullis, ut in auro, lucentibus scintillis. Terra est alia rufa, alia cineracea. Excoqui non potest, nisi cum plumbo nigro, aut cum venâ plumbi. Galenam vocant, quæ juxta argenti venas plerumque reperitur. Et eodem opere ignium descendit pars in plumbum, argentum autem supernè innatat, ut oleum aquis. Reperitur in omnibus pæne provinciis, sed in Hispaniâ pulcherrimum. Id quoque in sterili solo atque etiam montibus: et ubicumque una inventa vena est, non procul invenitur alia. Hoc quidem et in omni fere materiâ: unde metalla Græci videntur dixisse. Mirum, adhuc per Hispanias ab Annibale inchoatos puteos durare, sua ab inventoribus nomina habentes. Ex quibus Bebulo appellatur hodieque, qui ccc. pondo Annibali sumministravit in dies, ad mille quingentos jam passus cavato monte, per quod spatium Aquitani stantes diebus noctibusque egerunt, aquas lucernarum mensurâ, amnemque faciunt. Argenti vena, quæ in summo reperta est, crudaria appellatur. Finis antiquis fodiendi solebat esse alumen inventum: ultra nihil quærebatur. Nuper inventa æris vena infra alumen alba, finem spei fecit. Odor ex argenti fodinis inimicus omnibus animalibus, sed maximè canibus. Aurum argentumque quò mollius, eo pulchrius. Lineas ex argento nigras produci plerique mirantur.

XXXII. Est et lapis in his venis, cujus vomica liquoris æterni argentum vivum appellatur, venenum rerum omnium. Exest ac perrumpit vasa permanens tabe dirâ. Omnia ei innatant, præter aurum: id unum ad se trahit. Ideo et optimè purgat, cæteras ejus sordes exspuens crebro jactatu fictilibus in vasis, alutis injectis. Sed ut ipsum ab auro discedat in pelles subactas effunditur, per quas sudoris vice defluens, purum relinquit aurum. Ergo et cùm æra inaurantur, sublitum bracteis pertinacissimè retinet. Verùm pallore

detegit simplices aut prætenues bracteas. Quapropter id furtum quærentes, ovi liquore candido usum eum adulteravere: mox et hydrargyro, de quo suo dicemus loco. Et aliàs argentum vivum non largum inventum est.

XXXIII. In iisdem argenti metallis invenitur, ut propriè dicamus, spumæ lapis candidæ nitentisque, non tamen translucens, stimmi appellant, alii stibium, alii alabastrum, alii larbason. Duo ejus genera, mas et femina, magis probant feminam: horridior est mas, scabriorque et minùs ponderosus, minùsque radians, et arenosior: femina contrà nitet, friabilis, fissurisque, non globis dehiscens.

XXXIV. Vis ejus adstringere, et refrigerare: principalis autem circa oculos: namque ideo etiam plerique platyophthalmon id appellavere, quoniam in calliblepharis mulierum dilatet oculos. ———

XXXV. ——— Fit in iisdem metallis, et quæ vocatur spuma argenti. Genera ejus tria optima quam chrysitin vocant: secunda, quam argyritin: tertia quam molybditin. Et plerumque omnes hi colores in iisdem tubulis inveniuntur. ———

XXXVI. 7. Invenitur in argentariis metallis minium quoque, et nunc inter pigmenta magnæ auctoritatis, et quondam apud Romanos non solùm maximæ, sed etiam sacræ. Enumerat autores Verrius, quibus credere sit necesse, Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam, triumphantumque corpora: sic Camillum triumphasse. Hac religione etiam nunc addi in unguenta cenæ triumphalis, et a censoribus in primis Jovem miniandum locari. Cujus rei causam equidem miror: quamquam et hodie id expeti constat Æthiopum populis, totosque eo tingui proceres, huncque ibi deorum simulacris colorem esse. ———

XL. ——— Est alterum genus in omnibus ferè argentariis, itemque plumbariis metallis, quod fit exusto lapide venis permixto, non ex illo, cujus vomitam argentum vivum appellavimus, (is enim et ipse in argentum excoquitur:) sed ex aliis simul repertis. Steriles etiam plumbi deprehenduntur suo colore, nec nisi in fornacibus rubes-

centes, exustique tunduntur in farinam. Et hoc est secundarium minium, perquam paucis notum, multum infra naturales illas arenas. — Secundarii autem splendor in parietibus sentit uliginem. Quanquam hoc rubigo quædam metalli est. Sisaponensibus autem miniariis suæ venæ arena sine argento excoquitur auri modo. — Solis atque Lunæ contactus inimicus: remedium, ut parieti siccato cera Punica cum oleo liquefacta candens setis inducatur: iterumque admotis gallæ carbonibus ad sudorem usque: postea candelis subigatur: ac deinde linteis puris, sicut et marmora nitescunt. Qui minium in officinis poliunt, faciem laxis vesicis illigant, ne in respirando perniciosam pulverem trahant: et tamen ut per illas spectent. Minium in voluminibus quoque scripturâ usurpatur, elarioresque literas, vel in auro, vel in marmore, etiam in sepulcris facit. —

XLII. Hydrargyro argentum inauratur solum nunc propè, cum et in æra simili modo duci debeat. Sed eadem fraus, quæ in omni vitæ parte ingeniosissima est, viliores excogitavit materiam, ut docuimus.

XLIII. Auri argentique mentionem comitatur lapis, quem coticulam appellant, quondam non solitus inveniri, nisi in flumine Tmolo, ut auctor est Theophrastus: Nunc verò passim: quem alii Heraclium, alii Lydium vocant. Sunt autem modici, quaternas uncias longitudinis binasque latitudinis non excedentes. Quod a sole fuit in his, melius quàm quod a terrâ. His coticulis, periti, cum e venâ ut limâ rapuerint experimentum, protinus dicunt quantum auri sit in eâ, quantum argenti vel æris, scripulari differentiâ, mirabili ratione, non fallente. —

XLV. 9. Laminas duci, et specula fieri non nisi ex optimo posse creditum fuerat. Id quoque jam fraude corrumpitur. Sed natura mira est imagines reddendi, quod repercusso aere, atque in oculos regesto fieri convenit. Eâdem vi in speculis usu politâ crassitudine, paulumque propulsâ dilatatur in immensum magnitudo imaginum. Tantum interest, repercussum illum respuat, an excipiat. Quin etiam pocula ita

figurantur, exsculptis intus crebris ceu speculis, ut vel uno intuente, populus totidem imaginum fiat. Excogitantur et monstrifica, ut in templo Smyrnæ dicata. Id evenit figurâ materiæ. Plurimùmque refert concava sint et poculi modo, an parmæ Threcedicæ media depressa an elata, transversa, an obliqua, supina an recta, qualitate excipientis figuræ torquente venientes umbras. Nec enim est aliud illa imago quàm digesta claritas materiæ excipientis umbram. Atque ut omnia de speculis peragantur hoc loco, optima apud majores fuerant Brundisina, stanno et ære mixtis. Præolata sunt argentea. Primus fecit Praxiteles, Magni Pompeii ætate. Nuper credi cœptum, certio rem imaginem reddi, auro appposito aversis.

XLVI. Tinguunt et Ægyptus argentum, ut in vasis Anubem suum spectet, pingitque, non cælat argentum. Transit inde materia et ad triumphales statuas: mirumque, crescit pretium fulgoris excæcati. Id autem fit hoc modo. Miscentur argento tertia æris Cyprii tenuissimi, quod coronarium vocant, et sulphuris vivi quantum argenti. Conflantur ita in fictili circumlito argillâ. Modus coquendi, donec se ipsa opercula aperiant. Nigrescit et ovi indurati luteo, ut tamen aceto et cretâ deteratur.

Miscuit denario triumvir Antonius ferrum. Miscentur æra falsæ monetæ. Alii e pondere subtrahunt, cum sit justum LXXXIV. e libris signari. Igitur ars facta denarios probare, tam jucundâ lege plebi, ut Mario Gratidiano vicatim totas statuas dicaverit. Mirumque, in hac artium solâ vitia discuntur, et falsi denarii spectatur exemplar, pluribusque veris denariis adulterinus emitur.

XLVII. 10. Non erat apud antiquos numerus ultra centum millia: itaque et hodie multiplicantur hæc, ut decies centena millia, aut sæpius dicantur. Fenus hoc fecit, nummusque percussus: et sic quoque æs alienum etiamnum appellatur. Postea Divites cognominati: dummodo notum sit, eum qui primus acceperit hoc cognomen, decoxisse creditoribus suis. Ex eâdem gente M. Crassus negabat locupletem esse, nisi qui

reditu annuo legionem tueri posset. In agris sestertium xx. millia possedit, Quiritium post Sullam ditissimus. Nec fuit satis, nisi totum Parthorum esurisset aurum: atque in memoriam quidem optimum occupavit: juvat enim insectari inexplebilem istam habendi cupidinem. Multos postea cognovimus servitute liberatos opulentiores: pariterque tres Claudii principatu, Pallantem, Callistum, et Narcissum. Atque ut hi omittantur, tamquam adhuc rerum potiantur, C. Asinio Gallo, C. Marcio Censorino, coss. a. d. vi. Kal. Febr. C. Cæcilius Claudius Isidorus testamento suo edixit, quamvis multa civili bello perdidisset, tamen relinquere servorum quatuor millia centum sedecim: juga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris cc. quinquaginta septem millia, in numerato H.—s. DC. M. Funerari se jussit H.—s. XI. M. Congerant excedentes numerum opes, quota tamen portio erunt Ptolemæi? quem Varro tradit Pompeio res gerente circa Judæam, octona millia equitum suâ pecuniâ toleravisse: mille convivas, totidem aureis potoriis mutantem vasa cum ferculis, saginasse. Quota verò ille ipse (neque enim de regibus loquor) portio fuit Pythii Bithyni, qui platanum auream, vitemque nobilem illam Dario regi donavit: Xerxis copias, hoc est, septies centena LXXXVIII. millia hominum excepit epulo, stipendium quinque mensium frumentumque pollicitus, ut e quinque liberis in delectu senectuti suæ unus saltem concederetur. Hunc quoque ipsum aliquis comparet Cræso regi. Quæ (malum) amentia est, id in vitâ cupere, quod aut etiam servis contigerit, aut ne in regibus quidem invenerit finem!

XLVIII. Populus Romanus stipem spargere cœpit, Sp. Posthumio, Q. Marcio coss. Tanta abundantia pecuniæ erat, ut eam conferret L. Scipioni, ex quâ is ludos fecit. Nam quòd Agrippæ Menenio sextantes æris in funus contulit, honoris id necessitatisque propter paupertatem Agrippæ, non largitionis esse dixerim.

XLIX. II. Vasa ex argento mira inconstantia humani ingenii variat, nullum genus officinæ diu probando, nunc Firmiana, nunc Clodiana, nunc Gratiana: etenim tabernas mensis adoptavimus: nunc anaglypta,

in asperitatemque excisa, circà linearum picturas quærimus. Jam verò et mensas repositoriis imponimus, et ad sustinenda obsonia interrādimus latera : et interest, quàm plurimùm lima perdiderit. Vasa coquinaria ex argento Calvus orator fieri queritat : at nos carrucas ex argento cælare invenimus : nostraque ætate Poppæa conjux Neronis principis deliciaribus jumentis suis soleas ex auro quoque induere.

L. Libras xxxii. argenti Africanus sequens heredi reliquit. Idemque cùm de Pœnis triumpharet, quatuor millia ccclxxx. pondo transtulit. Hoc argenti tota Carthago habuit, illa terrarum æmula, quot mensarum postea apparatu victa? Numantiâ quidem deletâ, idem Africanus in triumpho militibus x. vii. dedit. O viros illo imperatore dignos, quibus hoc satis fuit! Frater ejus Allobrogicus primus omnium pondo mille habuit. At Livius Drusus in tribunatu plebis, x. Nam propter quinque pondo notatum a censoribus triumphalem senem fabulosum jam videtur. Item Catum Ælium, cùm legati Ætolorum in consulatu prandentem in fictilibus adissent, missa ab his vasa argentea non accepisse, neque aliud habuisse argenti ad supremum vitæ diem quàm duo pocula, quæ L. Paulus socer ei ob virtutem devicto Perseo rege, donasset. Invenimus legatos Carthaginiensium dixisse nullos hominum inter sese benigniùs vivere, quàm Romanos. Eodem enim argento apud omnes cenitavisse ipsos. At hercules Pompeium Paulinum Arelatensis equitis Romani filium, paternâque gente pellitum, quod xii. pondo argenti habuisset apud exercitum, ferocissimis gentibus oppositum scimus.

Ll. Lectos verò mulierum jam pridem totos operiri argento, et triclinia quædam quibus argentum addidisse primus traditur Carvilius Pollio, eques Romanus, non ut operiret, aut Deliacâ specie faceret, sed Punicanâ. Eâdem et aureos fecit. Nec multò post argentei Deliacos imitati sunt : Quæ omnia expiavit bellum civile Sullanum.

Lii. Paulo enim antè hæc facta sunt, lancesque e centenis libris argenti, quas tunc super quingentas numero Romæ fuisse constat, multosque ob eas proscrip-

tos, dolo concupiscentium. Erubescant annales, qui bellum civile illud talibus vitiis imputaverè. Nostra ætas fortior fuit: Claudii principatu, servus ejus Drusillanus nomine Rotundus, dispensator Hispaniæ citerioris quingenariam lancem habuit, cui fabricandæ officina priùs exædificata fuerat: et comites ejus, octo DCCCL. librarum: quæso, ut quàm multi eas conservi ejus inferrent, aut quibus cenantibus? Cornelius Nepos tradit ante Sullæ victoriam duo tantùm triclinia Romæ fuisse argentea. Repositoriis argentum addi suâ memoriâ cœptum, Fenestella, qui obiit novissimo Tiberii Cæsaris principatu. Sed et testudinea tum in usum venisse. Ante se autem paulo, lignea, rotunda, solida: nec multò majora quàm mensas fuisse. Se quidem puero, quadrata et compacta, aut acere operta, aut citro cœpisse. Mox additum argentum in angulis, lineasque per commissuras. Tympana verò se juvene appellata stateras, et lances, quas antiqui magidas appellaverant.

LIII. Nec copiâ tantùm argenti furit vita, sed validiùs pæne manipretis: idque jam pridem, ut ignoscamus nobis. Delphinos quinque millibus sestertiùm in libras emptos C. Gracchus habuit. Lucius verò Crassus orator duos scyphos Mentoris artificis manu cælatos sestertiis c. Confessus tamen est, numquam se his uti propter verecundiam ausum. Constat eundem sestertiùm VI. millibus in singulas libras vasa emptâ habuisse. Asia primùm devicta luxuriam misit in Italiam. Siquidem Lucius Scipio transtulit in triumpho argenti cælati pondo, MCCCCL. Et vasorum aureorum pondo MD. anno conditæ Urbis quingentesimo sexagesimo quinto. Eadem Asia donata multò etiam graviùs adflixit mores, inutiliorque victoriâ illâ hæreditas Attalo rege mortuo fuit. Tum enim hæc emendi Romæ in auctionibus regiis verecundia exempta est, Urbis anno sexcentesimo vicesimo secundo, mediis quinquaginta septem annis eruditâ civitate amare etiam, non solùm admirari opulentiam externam: immenso et Achaicæ victoriæ momento ad impellendos mores, quæ et ipsa hoc intervallo, anno Urbis sexcentesimo octavo parta, signa et tabulas pictas invexit, ne quid deesset:



Pariterque luxuria nata est, et Carthago sublata, ita congruentibus fatis, ut liberet amplecti vitia, et liceret. Petiere et dignationem hinc aliqui veterum. C. Marius post victoriam Cimbricam cantharis potasse Liberi patris exemplo traditur, ille arator Arpinas, et manipularis imperator.

LIV. 12. Argenti usum in statuas primùm divi Augusti in adulatione temporum transisse, falsò existimatur. Jam enim triumpho Magni Pompeii reperimus translata Pharnacis, qui primus regnavit in Ponto, argenteam statuam: item Mithridatis Eupatoris, et currus aureos argenteosque. Argentum succedit aliquando et auro luxu feminarum plebis compedes sibi ex eo facientium, quas induere aureas mos tristior vetat. Vidimus et ipsi Arellium Fuscum (motum equestri ordine, ob insignem calumniam, cùm celebritate adsectarentur adolescentium scholæ,) ex argento anulos habentem. Et quid hæc attinet colligere, cùm capuli militum, ebore etiam fastidito, cælentur argento, vaginæ catillis, baltei laminis crepitent? Jam verò — argento feminæ laventur, et, nisi argentea, solia fastidiant; eademque materia et cibus, et probris, serviat. Videret hæc Fabricius, et stratas argento mulierum balneas, ita ut vestigio locus non sit, cum viris lavantium: Fabricius, inquam, qui bellicosos imperatores plus quàm pateram et salinum ex argento habere vetabat. Videret hinc dona fortium fieri, aut in hæc frangi. Heu mores! Fabricii nos pudet. —

---

## LIBER XXXIV.

I. 1. Proxima dicantur æris metalla, cui et in usu proximum est pretium, immo verò ante argentum, ac pæne etiam ante aurum, Corinthio. Stipis quoque auctoritas, ut diximus. Hinc æra militum: tribuni ærarii, et ærarium, obærat, et ære diruti. Docuimus, quamdiu populus Romanus ære tantùm signato usus sit. Sed

et alia, vetustas æqualem Urbi auctoritatem ejus declarat, a rege Numâ collegio tertio ærariorum fabrûm instituto.

II. Vena quo dictum est modo effoditur, ignique perficitur. Fit et e lapide æroso, quem vocant cadmiam. —

2. Fit et ex alio lapide quem chalciten vocant in Cypro, ubi prima fuit æris inventio: mox vilitas præcipua, reperto in aliis terris præstantiore, maximè aurichalco, quod præcipuam bonitatem admirationemque diu obtinuit. —

III. Reliqua genera artificio constant, quæ suis locis reddentur, summâ claritate ante omnia indicatâ. Quondam æs confusum auro argentoque miscebatur, et tamen ars pretiosior erat: nunc incertum est pejor hæc sit, an materia. Mirumque, cùm ad infinitum operum pretia creverint, auctoritas artis extincta est. Quæstûs causâ enim, ut omnia, exerceri cœpta est, quæ gloriæ solebat. —

Ex illâ autem antiquâ gloriâ Corinthium maximè laudatur: hoc casus miscuit, Corintho, cùm caperetur, incensâ: mirèque circa id multorum adfectatio fuit: quippe cùm tradatur, non aliâ de causâ Verrem, quem Cicerò damnaverat, proscriptum esse ab Antonio, quàm quòd Corinthiis se ei cessurum negavisset. At mihi major pars eorum simulare eam scientiam videtur, ad segregandos se a ceteris, magis, quàm intelligere aliquid ibi subtilius: et hoc paucis docebo. Corinthus capta est Olympiadis CLVIII. anno tertio, nostræ Urbis DCVIII.: cùm ante sæcula fictores nobiles esse desissent, quorum ista omnia signa hodie Corinthia appellant. —

IV. Antiquissima æris gloria Deliacò fuit, mercatus in Delo conceleberrante toto orbe, et ideo cura officinis tricliniorum pedibus fulcrisque. Ibi prima nobilitas æris. Pervenit deinde ad deûm simulacra, effigiemque hominum, et aliorum animalium. —

5. Proxima laus Æginetico fuit. Insula et ipsa, nec æs gignens, sed officinarum temperaturâ nobilitata. Bos æreus inde captus in foro boario est Romæ. Hoc

erit exemplar Æginetici æris : Deliaci autem Jupiter in Capitolio in Jovis Tonantis æde : illo ære Myron usus est, hoc Polycletus, æquales atque condiscipuli, Æmulatio iis et in materiâ fuit.

VI. 3. Privatim Ægina candelabrorum superficiem dumtaxat elaboravit, sicut Tarentum scapos. In his ergo juncta commendatio officinarum est. Nec pudet tribunorum militarium salariis emere, cùm ipsum nomen a candelarum lumine impositum appareat. —

VII. Prisci limina etiam ac valvas ex ære in templis factitavere. — Camillo inter crimina objecit Sp. Carvilius quæstor, quòd ærata ostia haberet in domo.

VIII. Nam triclinia ærata, abacosque et monopodia Cn. Manlium Asiâ devictâ primum invenisse triumpho suo, quem duxit Urbis anno DLXVII. L. Piso auctor est, Antias quidem L. Crassum heredem L. Crassi oratoris, multa etiam triclinia ærata vendidisse. Ex ære factitavere et cortinas, tripodum nomine Delphicas, quoniam donis maximè Apollinis Delphici dicabantur. Placere et lychnuchi, pensiles in delubris, aut arborum modo mala ferentium lucentes : qualis est in templo Apollinis Palatini, quod Alexander Magnus Thebarum expugnatione captum in Cyme dicaverat eidem deo.

IX. 4. Transiit deinde ars ubique vulgò ad effigies deorum. Romæ simulacrum ex ære factum Cereri primum reperio ex peculio Sp. Cassii, quem regnum adfectantem pater ipsius interemerat. Transiit et ab diis ad hominum statuas, atque multis modis. Bitumine antiqui tinguebant eas, quò magis mirum est placuisse auro integere. Hoc nescio an Romanum fuerit inventum : certè etiam Romæ non habet vetustatem. Effigies hominum non solebant exprimi, nisi aliquâ illustri causâ perpetuitatem merentium, primò sacrorum certaminum victoriâ, maximequè Olympiæ : ubi omnium qui vicissent statuas dicari mos erat. Eorum verò, qui ter ibi superavissent, ex membris ipsorum similitudine expressâ, quas iconicas vocant. Athenienses nescio an primi omnium Harmodio et Aristogitoni tyrannicidis publicè posuerint statuas. Hoc actum est eodem anno, quo et Romæ reges pulsi. Excepta deinde res est a

toto orbe terrarum humanissimâ ambitione. Et jam omnium municipiorum foris statuæ ornamentum esse cœpere, prorogarique memoria hominum, et honores legendi ævo basibus inscribi, ne in sepulcris tantum legerentur. Mox forum et in domibus privatis factum atque in atriis. Honos clientum instituit sic colere patronos.

X. 5. Togatæ effigies antiquitus ita dicabantur. Placere et nudæ tenentes hastam, ab epheborum e gymnasiis exemplaribus, quas Achilleas vocant. Græca res est, nihil velare: at contra Romana ac militaris, thoracas addere. ——— Equestres verò statuæ Romanam celebrationem habent, orto sine dubio a Græcis exemplo. Sed illi celetas tantùm dicabant in sacris victores. Postea verò et qui bigis vel quadrigis vicissent. Unde et nostri currus nati in his qui triumphavissent. ———

XI. ——— Antiquior columnarum, sicut C. Mænio, qui devicerat priscos Latinos, quibus ex fœdere tertias prædæ Romanus populus præstabat, eodemque in consulatu in suggestu rostra devictis Antiatibus fixerat anno Urbis ccccxvi. Item Caio Duillio, qui primus navalem triumphum egit de Pœnis, quæ est etiam nunc in Foro. ———

6. ——— Non præteribo Cn. Octavium ob unum scilicet verbum: “Hic regem Antiochum, daturum se responsum” dicentem, virgâ quam tenebat fortè circumscripsit, et priùs quàm egrederetur circulo illo, responsum dare coegit. In quâ legatione interfecto senatus statuam poni jussit quàm oculatissimo loco in Rostris. ———

XII. Invenio et Pythagoræ, et Alcibiadi in cornibus Comitii positas, cùm bello Samniti Apollo Pythius fortissimo Graiæ gentis jussisse et alteri sapientissimo, simulacra celebri loco dicari: ea steterè donec Sulla dictator ibi curiam faceret. Mirumque est, illos patres Socrati cunctis ab eodem deo scientiâ præfato Pythagoram prætulisse, aut tot aliis virtute Alcibiadem, aut quemquam utroque Themistocli. Columnarum ratio erat, attolli supra ceteros mortales: quod et arcus sig-

nificant novitio invento. Primus tamen honos cœpit a Græcis. ———

XIV. ——— Extant Catonis in censurâ vociferationes, mulieribus Romanis in provinciis statuas poni. Nec tamen potuit inhibere quominus Romæ quoque ponerentur, sicuti Cornelie Gracchorum matri, quæ fuit Africani prioris filia. Sedens huic posita, soleisque sine amento insignis, in Metelli publicâ porticu : quæ statua nunc est in Octaviæ operibus. ———

XVI. 7. Fuisse autem statuariam artem familiarem Italiæ quoque et vetustam, indicant, Hercules ab Evandro sacratus, ut produnt, in Foro boario, qui triumphalis vocatur, atque per triumphos vestitur habitu triumphali : Præterea Janus geminus a Numâ rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, ut trecentorum quinquaginta quinque dierum notâ, per significationem anni, temporis et ævi se deum indicaret. Signa quoque Tuscanica per terras dispersa, quæ in Etruriâ factitata non est dubium. ———

XVII. ——— Evecta supra humanam fidem ars est successu, mox et audaciâ. In argumentum successûs unum exemplum adferam, nec deorum hominisve similitudinis expressæ. Ætas nostra vidit in Capitolio, priusquam id novissimè conflagravit a Vitellianis incensum, in cellâ Junonis, canem ex ære, vulnus suum lambentem : cujus eximium miraculum et indiscreta veri similitudo, non eo solùm intelligitur, quòd ibi dicata fuerat : verùm et novâ satisfactione : nam summâ nulla par videbatur : capite tutelarios cavere pro eo, instituti publici fuit.

XVIII. Audaciæ innumera sunt exempla. Moles quippe excogitatas videmus statuarum, quas colosseas vocant, turribus pares. Talis est in Capitolio Apollo, translatus a M. Lucullo ex Apolloniâ Ponti urbe, xxx. cubitorum, quingentis talentis factus : talis in Campo Martio Jupiter a divo Claudio Cæsare dicatus, qui vocatur Pompeianus a vicinitate theatri : talis et Tarenti factus a Lysippo xl. cubitorum. Mirum in eo, quòd manu, ut ferunt, mobilis, (ea ratio libramenti est) : nullis convellatur procellis. Id quidem provi-

disse et artifex dicitur, modico intervallo, unde maximè flatum opus erat frangi, oppositâ columnâ. Itaque propter magnitudinem difficultatemque movendi, non attigit eum Fabius Verrucosus, cùm Herculem qui est in Capitolio, inde transferret. Ante omnes autem in admiratione fuit Solis Colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lindius, Lysippi suprâ dicti discipulus. Septuaginta cubitorum altitudinis fuit. Hoc simulacrum post quinquagesimum sextum annum terræ motu prostratum, sed jacens quoque miraculo est. Pauci pollicem ejus amplectuntur. Majores sunt digiti, quàm pleræque statuæ. Vasti specus hiant defractis membris. Spectantur intus magnæ molis saxa, quorum pondere stabiliverat constituens. Duodecim annis tradunt effectum ccc. talentis, quæ contulerant ex apparatu regis Demetrii relicto, moræ tædio. —

XIX. 8. Minoribus simulacris signisque innumera propè artificum multitudo nobilitata est. Ante omnes tamen Phidias Atheniensis, Jove Olympiæ facto, ex ebore quidem et auro: sed et ex ære signa fecit. Floruit autem Olympiade LXXXIII. circiter ccc. nostræ Urbis anno. — Distinctis celeberrimorum ætatibus, insignes raptim transcurram, reliquâ multitudine passim dispersâ. Venère autem et in certamen laudatissimi, quamquam diversis ætatibus geniti, quoniam fecerant Amazonas: quæ cùm in templo Ephesiæ Dianæ dicarentur, placuit eligi probatissimam, ipsorum artificum, qui præsentibus erant, judicio, cùm apparuit eam esse, quam omnes secundam a suâ quisque judicassent. Hæc est Polycleti, proxima ab eâ Phidiæ, tertia Ctesilai, quarta Cydonis, quinta Phradmonis.

Phidias, præter Jovem Olympium, quem nemo æmularatur, fecit et ex ebore æque Minervam Athenis, quæ est in Parthenone adstans. Ex ære verò præter Amazonem suprâ dictam, Minervam tam eximiæ pulcritudinis, ut formæ cognomen acceperit. — Primusque artem toreuticen aperuisse atque demonstrasse meritò judicatur.

Polycletus Sicyonius Ageladæ discipulus Diadumenum fecit molliter juvenem, centum talentis nobilita-

tum: idem et Doryphorum viriliter puerum. Fecit et quem canona artifices vocant, lineamenta artis ex eo petentes, velut a lege quadam: solusque hominum artem ipse fecisse, artis opere iudicatur. — Hic consummasse hanc scientiam iudicatur, et toreuticenses sic erudisse, ut Phidias aperuisse. —

Myronem Eleutheris natum, et ipsum Ageladæ discipulum, bucula maximè nobilitavit, celebratis versibus laudata: quando alieno plerique ingenio magis, quàm suo commendantur. — Primus hic multiplicasse varietatem videtur, numerosior in arte, quàm Polycletus, et in symmetriâ diligentior: et ipse tamen corporum tenuis curiosus, animi sensus non expressisse. —

XXXIX. 14. Proximè indicari debent metalla ferri, optimo pessimoque vitæ instrumento. Siquidem hoc tellurem scindimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vites, squalore deciso annis omnibus, cogimus juvenescere. Hoc exstruimus tecta, cædimus saxa, omnesque ad alios usus ferro utimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, non cominus solùm, sed etiam missilivolucrique, nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc verò pennato: quam sceleratissimam humani ingenii fraudem arbitror. Siquidem, ut ociùs mors pervenerit ad hominem, alitem illam fecimus, pennasque ferro dedimus. Quamobrem culpa ejus non naturæ fiat accepta. Aliquot experimentis probatum est posse innocens esse ferrum. —

XL. — Obstat eadem naturæ benignitas, exigentis a ferro ipso pœnas rubigine: eâdemque providentiâ nihil in rebus mortalibus faciente, quàm quod infestissimum mortalitati.

XLI. Ferri metalla ubique propemodum reperiuntur, quippe insulâ etiam Italiæ Ilvâ gignente: minimâque difficultate cognoscuntur, ipso colore terræ manifesto. — A ferro sanguis humanus se ulciscitur. Contactum namque eo, celerius subinde rubiginem trahit.

XLII. De magnete lapide suo loco dicemus, concordiaque quam cum ferro habet. Sola hæc materia vires ab eo lapide accipit, retinetque longo tempore, aliud adprehendens ferrum, ut anulorum catena spec-

tetur interdum: quod imperitum vulgus appellat ferrum vivum, vulneraque tali asperiora fiunt. Lapis hic et in Cantabriâ nascitur, non ille magnes verus caute continuâ, sed sparsâ bullatione, ita appellant: nescio an vitro fundendo perinde utilis: nondum enim expertus est quisquam: ferrum utique inficit eâdem vi. Magnete lapide Dinochares architectus Alexandriae Arsinoes templum concamerare inchoaverat, ut in eo simulacrum ejus e ferro pendere in aere videretur. Intercessit mors et ipsius et Ptolemæi, qui id sorori suæ jusserrat fieri.

XLIII. 15. Metallorum omnium vena ferri largissima est. Cantabriæ maritimæ parte, quam Oceanus adluit, mons præruptè altus, incredibile dictu, totus ex eâ materie est. — Ferrum accensum igni, nisi duretur ictibus, corrumpitur. Rubens non est habile tundendo, neque antequam albescere incipiat. Aceto aut alumine illitum fit æri simile. A rubigine vindicatur cerussâ, et gypso, et liquidâ pice. Hæc est temperatura a Græcis antipathia dicta. —

XLVII. 16. Sequitur natura plumbi. Cujus duo genera, nigrum, atque candidum. Pretiosissimum candidum, a Græcis appellatum cassiteron, fabulosèque narratum in insulas Atlantici maris peti, vitilibusque navigiis circumsutis corio advehi. Nunc certum est, in Lusitaniâ gigni, et in Gallæciâ: summâ tellure arenosâ, et coloris nigri: pondere tantùm ea deprehenditur. Interveniunt et minuti calculi, maximè torrentibus siccatis. Lavant eas arenas metallici, et quod subsedit coquunt in fornacibus. Invenitur et in aurariis metallis, quæ alutia vocant: aquâ immissâ eluente calculos nigros paulum candore variatos, quibus eadem gravitas quæ auro: et ideo in calathis, in quibus aurum colligitur, remanent cum eo: postea caminis separantur, conflatique in album plumbum resolvuntur. Non fit in Gallæciâ nigrum, cum vicina Cantabria nigro tantùm abundet: nec ex albo argentum, cùm fiat ex nigro. Jungi inter se plumbum nigrum sine albo non potest, nec hoc ei sine oleo. Ac ne album quidem secum sine nigro. Album habuit auctoritatem et Iliacis



temporibus, teste Homero, cassiteron ab illo dictum.

Plumbi nigri origo duplex est: aut enim suâ provenit venâ, nec quidquam aliud ex se parit: aut cum argento nascitur, mixtisque venis conflatur. Ejus qui primus fruit in fornacibus liquor, stannum appellatur: qui secundus, argentum: quod remansit in fornacibus, galena, quæ est tertia portio additæ venæ. Hæc rursus conflata, dat nigrum plumbum deductis partibus non duabus.

XLVIII. 17. Stannum illitum æneis vasis, saporem gratiorem facit, et compescit æruginis virus: mirumque, pondus non auget. Specula quoque ex eo laudatissima, ut diximus, Brundisii temperabantur, donec argenteis uti cœpere et ancillæ. Nunc adulteratur stannum additâ æris candidi tertiâ portione in plumbum album. Fit et alio modo: mixtis albi plumbi nigrique libris. Hoc nunc aliqui argentarium appellant. Iidem et tertiarium vocant, in quo duæ nigri portiones sunt, et tertia albi. ——— Hoc fistulæ solidantur. ———

XLIX. Nigro plumbo ad fistulas laminasque utimur, laboriosius in Hispaniâ eruto, totasque per Gallias: sed in Britanniâ summo terræ corio adeo largè, ut lex ultro dicatur, “ne plus certo modo fiat.” ———

LIV. Psimmythium quoque, hoc est, cerussam, plumbariæ dant officinæ. Laudatissimum in Rhodo. Fit autem ramentis plumbi tenuissimis super vas aceti asperrimi impositis, atque ita destillantibus. Quod ex eo cecidit in ipsum acetum, arefactum molitur et cribratur, iterumque aceto mixto in pastillos dividitur, et in Sole siccatur æstate. Fit et alio modo: addito in urceos aceti plumbo, obturatos per dies decem derasoque ceu situ, ac rursus rejecto, donec deficiat materia. ——— Dein lavatur dulci aquâ, donec nubeculæ omnes eluantur. Siccatur similiter postea, et in pastillos dividitur. Vis ejus eadem, quæ suprâ dictis: levissima tantùm ex omnibus: præterque ad candorem feminarum adhibetur. Est autem letalis potus, sicut spumæ argenti. Postea cerussa ipsa si coquatur rufescit. ———

## LIBER XXXV.

I. — Dicemus quæ restant de picturâ, arte quondam nobili, tunc cum expeteretur a regibus populisque, et illos nobilitante, quos esset dignata posteris tradere. —

II. 2. Imaginum quidem picturâ quàm maximè similes in ævum propagabantur figuræ; quod in totum exolevit. Ærei ponuntur clypei, argenteæ facies surdo figurarum discrimine, statuarum capita permutantur, vulgatis jam pridem salibus etiam carminum. Adeò materiam malunt conspici omnes, quàm se nosci. Et inter hæc pinacothecas veteribus tabulis consuunt, alienasque effigies colunt, ipsi honorem non nisi in pretio ducentes, ut frangat heres, furisque detrahat laqueus. Itaque nullius effigie vivente, imagines pecuniæ, non suas, relinquunt. — Ita est profectò: artes desidia perdidit: et quoniam animorum imagines non sunt, negliguntur etiam corporum. —

Quò majus (ut equidem arbitror) nullum est felicitatis specimen, quàm semper omnes scire cupere qualis fuerit aliquis. — Imaginum amore flagrasse quosdam testes sunt et Atticus ille Ciceronis edito de his volumine, et Marcus Varro benignissimo invento, insertis voluminum suorum fecunditati, non nominibus tantùm septingentorum illustrium, sed et aliquo modo imaginibus, non passus intercidere figuras, aut vetustatem ævi contra homines valere; inventor muneris etiam diis invidiosi, quando immortalitatem non solùm dedit, verùm etiam in omnes terras misit, ut præsentis esse ubique, et credi possent. —

V. De picturæ initiis incerta, nec instituti operis quæstio est. Ægyptii sex millibus annorum apud ipsos inventam, priusquam in Græciam transiret, adfirmant, vanâ prædicatione, ut palam est. Græci autem alii Sicyone, alii apud Corinthios repertam, omnes umbrâ hominis lineis circumductâ. Itaque talem primam fuisse: secundam singulis coloribus, et monochroma-

ton dictam, postquam operosior inventa erat: duratque talis etiam nunc. Inventam linearem dicunt a Philocle Ægyptio, vel Cleanthe Corinthio. Primi exercuere Ardices Corinthius, et Telephanes Sicyonius, sine ullo etiamnum hi colore, jam tamen spargentes lineas intus. Ideo et quos pingerent, adscribere institutum. Primus invenit eas colorare, testâ (ut ferunt) tritâ, Cleophantus Corinthius. —

VII. 4. Apud Romanos quoque honos maturè huic arti contigit. Siquidem cognomina ex eâ Pictorum traxerunt Fabii clarissimæ gentis, princepsque ejus cognominis ipse ædem Salutis pinxit anno Urbis conditæ ccccl. quæ pictura duravit ad nostram memoriam, æde Claudii principatu exustâ. Proximè celebrata est, in foro Boario æde Herculis, Pacuvii poetæ pictura. Ennii sorore genitus hic fuit: clarioremque eam artem Romæ fecit gloria scenæ: Postea non est spectata honestis manibus: nisi fortè quis Turpilius equitem Romanum nostræ ætatis e Venetiâ velit referre, hodieque pulcris ejus operibus Veronæ exstantibus. Lævâ is manu pinxit, quod de nullo antè memoratur. Parvis gloriabatur tabellis, extinctus nuper in longâ senectâ, Antistius Labeo prætorius, etiam proconsulatu provinciæ Narbonensis functus. Sed ea res in risu et contumeliâ erat. Fuit et principum virorum non omitendum de picturâ celebre consilium. Qu. Pedius, nepos Qu. Pedii consularis triumphalisque, a Cæsare dictatore coheredis Augusto dati, cùm naturâ mutus esset, eum Messala orator, ex cujus familiâ pueri avia erat, picturam docendum censuit, idque etiam divus Augustus comprobavit. Puer magni profectûs in eâ arte obiit. Dignatio autem præcipua Romæ increvit (ut existimo) a M. Valerio Max. Messalâ, cùm princeps tabulam picturæ præclii, quo Carthaginenses et Hieronem in Siciliâ devicerat, proposuit in latere Curiæ Hostiliæ, anno ab Urbe conditâ cccxc. Fecit hoc idem et L. Scipio, tabulamque victoriæ suæ Asiaticæ in Capitolio posuit: idque ægre tulisse fratrem Africanum tradunt, haud immeritò quando filius ejus in illo proelio captus fuerat. Non dissimilem offensio-

nem et Æmiliani subiit Lucius Hostilius Mancinus, qui primus Carthaginem irruperat, situm ejus oppugnationesque depictas proponendo in Foro, et ipse assistens populo spectanti singula enarrando: quâ comitate proximis comitiis consulatum adeptus est. Habuit et scena ludis Claudii Pulcri magnam admirationem picturæ, cùm ad tegularum similitudinem corvi decepti imagine advolarent.

VIII. Tabulis autem externis auctoritatem Romæ publicè fecit primus omnium Lucius Mummius, cui cognomen Achaici victoria dedit. Namque cùm in prædâ vendendâ rex Attalus distraxisset et VI. M. sestertium emisset tabulam Aristidis, Liberum patrem, pretium miratus, suspicatusque aliquid in eâ virtutis, quod ipse nesciret, revocavit tabulam, Attalo multum querente, et in Cereris delubro posuit: quam primam arbitror picturam externam Romæ publicatam. Deinde video et in Foro positas vulgò. Hinc enim ille Crassi oratoris lepos agentis sub Veteribus, cùm testis compellatus instaret: "Dic ergo, Crasse, qualem me reris?" "Talem," inquit, ostendens in tabulâ pictum inficetissimè Gallum exserentem linguam. In Foro fuit et illa pastoris senis cum baculo, de quâ Teutonorum legatus respondit, interrogatus, "quanti eum æstimaret," "sibi donari nolle talem vivum, verumque."

IX. Sed præcipuam auctoritatem fecit publicè tabulis Cæsar dictator, Ajace et Medeâ ante Veneris Genetricis ædem dicatis. Post eum M. Agrippa vir rusticitati propior quàm deliciis. Exstat certè ejus oratio magna, et maximo civium digna, de tabulis omnibus signisque publicandis: quod fieri satius fuisset, quàm in villarum exsilia pelli. Verùm eadem illa torvitas tabulas duas Ajacis et Veneris mercata est a Cyzicenis H.—S. X. III. M. In Thermarum quoque calidissimâ parte marmoribus incluserat parvas tabellas, paulo antè cùm reficerentur, sublatas.

X. Super omnes divus Augustus in Foro suo celeberrimâ in parte posuit tabulas duas, quæ belli faciem pictam habent et triumphum. Idem Castores ac Vic-

toriam posuit, et quas dicemus sub artificum mentione in templo Cæsaris patris. Idem in Curiâ quoque, quam in Comitio consecrabat, duas tabulas impressit parieti. Nemeam sedentem supra leonem, palmigeram ipsam, adstante cum baculo sene, cujus supra caput tabula bigæ dependet. Nicias scripsit se inussisse: tali enim usus est verbo. Alterius tabulæ admiratio est puberem filium seni patri similem esse, salvâ ætatis differentiâ, supervolante aquilâ draconem complexâ. Philochares hoc suum opus esse testatus est: immensâ, vel unam si quis tantum hanc tabulam æstimet, potentiâ artis, cum propter Philocharem, ignobilissimos alioqui Glaucionem filiumque ejus Aristippum, senatus populusque Romanus tot sæculis spectet. —

XXXIV. 8. Nunc celebres in eâ arte quàm maximâ brevitate percurram. — Primus in picturâ marem feminamque discrevit, Eumarus Atheniensis, figuras omnes imitari ausus: — Cimon Cleonæus catagrapha invenit, hoc est, obliquas imagines: et variè formare vultus, respicientes, suspicientesque, et despicientes. Articulis etiam membra distinxit. Venas protulit: præterque in veste et rugas, et sinus invenit. Panæus quidem frater Phidiæ, etiam prælium Atheniensium adversum Persas apud Marathona factum pinxit. Adeò jam colorum usus increbruerat, ut in eo prælio iconicos duces pinxisse tradatur, Atheniensium, Militiadem, Callimachum, Cynegirum: Barbarorum Datim, Artaphernem.

XXXV. 9. — Post hos clari fuere — Polygnotus Thasius, qui primus mulieres lucidâ veste pinxit, capita earum mitris versicoloribus operuit, plurimumque picturæ primus contulit. Siquidem instituit os adaperire, dentes ostendere, vultum ab antiquo rigore variare. Hujus est tabula in porticu Pompeii, quæ ante Curiam ejus fuerat: in quâ dubitatur, ascendentem cum clypeo pinxerit, an descendentem. Hic Delphis ædem pinxit: hic et Athenis porticum, quæ Pœcile vocatur, gratuitò, cum partem ejus Micon mercede pingeret: unde major huic auctoritas. Siquidem Amphictyones, quod

est publicum Græciæ concilium, hospitia ei gratuita decrevere. Fuit et alius Micon, qui minoris cognomine distinguitur: cujus filia Timarete et ipsa pinxit.

XXXVI. Nonagesimâ autem Olympiade fuere Aglaophon, Cephissodorus, Phryllus, Evenor pater Parrhasii, et præceptor maximi pictoris, de quo suis annis dicemus: omnes hi jam illustres, non tamen, in quibus hærere expositio debeat, festinans ad lumina artis: in quibus primus refulsit Apollodorus Atheniensis nonagesimâ tertiâ Olympiade. Hic primus species exprimere instituit, primusque gloriam penicillo jure contulit. Ejus est sacerdos adorans, et Ajax fulmine incensus, qui Pergami spectatur hodie: neque ante eum tabula ullius ostenditur, quæ teneat oculos.

Ab hoc artis fores apertas Zeuxis Heracleotis intravit, Olympiadis nonagesimæ quintæ anno quarto, audentemque jam aliquid penicillum (de hoc enim adhuc loquimur) ad magnam gloriam perduxit, a quibusdam falsò in octogesimâ nonâ Olympiade positus, cùm fuisse necesse est Demophilum Himeræum, et Neseam Thasium: quoniam utrius eorum discipulus fuerit, ambigitur. In eum Apollodorus suprâ dictus versus fecit, "artem ipsis ablatam Zeuxin ferre secum." Opes quoque tantas adquisivit, ut in ostentatione earum, Olympiæ aureis literis in palliorum tesseris insertum nomen suum ostentaret. Postea donare opera sua instituit, quòd ea nullo satis digno pretio permolari posse diceret, sicuti Alcmenam Agrigentinis, Pana Archelao. Fecit et Penelopen, in quâ pinxisse mores videtur: et athletam. Adeòque sibi in illo placuit, ut versum subscriberet, celebrem ex eo, "Invisurum aliquem faciliùs, quàm imitaturum." Magnificus est Jupiter ejus in throno, adstantibus diis; et Hercules infans dracones strangulans, Alcmenâ matre coram pavente et Amphitryone. Deprehenditur tamen Zeuxis grandior in capitibus, articulisque: alioqui tantus diligentia, ut Agrigentinis facturum tabulam, quam in templo Junonis Laciniæ publicè dicarent, inspexerit virgines eorum nudas, et quinque elegerit, ut quod in quâque laudatissimum esset, pictura redderet. Pinxit et monochromata ex albo.

9. *Æquales ejus et æmuli fuere Timanthes, Androcydes, Eupompus, Parrhasius. Descendisse hic in certamen cum Zeuxide traditur. Et cùm ille detulisset uvas pictas tanto successu, ut in scenam aves advolarent, ipse detulisse linteum pictum, ita veritate representatâ, ut Zeuxis, alitum judicio tumens, flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam, atque intellecto errore, concederet palmam ingenuo pudore, quoniam ipse volucres fefellisset, Parrhasius autem se artificem.*

*Fertur et postea Zeuxis pinxisse puerum uvas ferentem, ad quas cùm advolasset avis, eâdem ingenuitate processit iratus operi, et dixit, "Uvas meliùs pinxi, quàm puerum: nam si et hoc consummassem, avis timere debuerat." Fecit et figlina opera, quæ sola in Ambraciâ relicta sunt, cùm inde Musas Fulvius Nobilior Romam transferret. Zeuxidis manu Romæ Helena est in Philippi porticibus: et in Concordiæ delubro Marsyas religatus.*

*Parrhasius Ephesi natus, et ipse multa constituit. Primus symmetriam picturæ dedit, primus argutias vultûs, elegantiam capilli, venustatem oris, confessione artificum in lineis extremis palmam adeptus. Hæc est in picturâ summa sublimitas. Corpora enim pingere et media rerum, est quidem magni operis: sed in quo multi gloriam tulerint. Extrema corporum facere et desinentis picturæ modum includere, rarum in successu artis invenitur. Ambire enim debet se extremitas ipsa, et sic desinere, ut promittat alia post se: ostendatque etiam quæ occultat. Hanc ei gloriam concessere Antigonus, et Xenocrates, qui de Picturis scripsere: prædicantes quoque, non solùm confitentes. Alia multa graphidis vestigia extant in tabulis ac membranis ejus, ex quibus proficere dicuntur artifices. Minor tamen videtur sibi comparatus, in mediis corporibus exprimendis. Pinxit demon Atheniensium argumento quoque ingenioso. Volebat namque varium, iracundum, injustum, inconstantem: eundem exorabilem, clementem, misericordem, excelsum, gloriosum, humilem, ferocem, fugacemque, et omnia pariter ostendere. ———*

Fecundus artifex, sed quo nemo insolentiùs et arrogantiùs sit usus gloriâ artis. Namque et cognomina usurpavit, Abrodiaëtum se appellando, aliisque verbis principem artis, et eam ab se consummatam. Super omnia Apollinis se radice ortum : et Herculem, qui est Lindi, talem a se pictum, qualem sæpe in quiete vidisset. Ergo magnis suffragiis superatus a Timanthe Sami, in Ajace armorumque judicio, herois nomine se molestè ferre dicebat, quòd iterum ab indigno victus esset. ———

Nam Timanthi vel plurimùm adfuit ingenii. Ejus enim est Iphigenia, oratorum laudibus celebrata, quâ stante ad aras periturâ, cùm mæstos pinxisset omnes, præcipuè patrum, et tristitiæ omnem imaginem consumpsisset, patris ipsius vultum velavit, quem dignè non poterat ostendere. Sunt et alia ingenii ejus exemplaria, veluti Cyclops dormiens in parvulâ tabellâ : cujus et sic magnitudinem exprimere cupiens, pinxit juxtâ Satyros, thyrso pollicem ejus metientes. Atque in unius hujus operibus intelligitur plus semper, quàm pingitur : et cùm ars summa sit, ingenium tamen ultra artem est. ———

Verùm omnes priùs genitos futurosque postea superavit Apelles Cous, Olympiade cxii. Picturæ plura solus propè, quàm ceteri omnes, contulit, voluminibus etiam editis, quæ doctrinam eam continent. Præcipuè ejus in arte venustas fuit : cùm eâdem ætate maximi pictores essent, quorum opera cùm admiraretur, collaudatis omnibus. “Deesse iis unam Venerem” dicebat, quam Græci Charita vocant : “cetera omnia contigisse : sed hac soli sibi neminem parem.” Et aliam gloriam usurpavit, cùm Protogenis opus immensi laboris ac curæ supra modum anxie miraretur. Dixit enim, “Omnia sibi cum illo paria esse, aut illi meliora : sed uno se præstare, quòd manum ille de tabulâ non sciret tollere :” memorabili præcepto, “nocere sæpe nimiam diligentiam.” Fuit autem non minoris simplicitatis quàm artis. Melanthio de dispositione cedebat, Asclepiodoro de mensuris, hoc est, quanto quid a quo distare deberet.



Scitum est inter Protogenem et eum quod accidit. Ille Rhodi vivebat: quò cùm Apelles adnavigasset, avidus cognoscendi opera ejus, famâ tantùm sibi cogniti, continuò officinam petit. Aberat ipse, sed tabulam amplæ magnitudinis in machinâ aptatam picturæ, anus una custodiebat. Hæc Protogenem foris esse respondit, interrogavitque, "a quo quæsitum diceret." "Ab hoc," inquit Apelles: arreptoque penicillo lineam ex colore duxit summæ tenuitatis per tabulam. Reverso Protogeni, quæ gesta erant, anus indicavit. Ferunt artificem protinus contemplatum subtilitatem, dixisse "Apellem venisse: non enim cadere in alium tam absolutum opus." Ipsumque alio colore tenuiorem lineam in illâ ipsâ duxisse, præcipisseque abeuntem, "si redisset ille, ostenderet, adjiceretque hunc esse quem quæreret:" atque ita evenit. Revertitur enim Apelles, sed vinci erubescens, tertio colore lineas secuit, nullum relinquens ampliùs subtilitati locum. At Protogenes victum se confessus in Portum devolavit, hospitem quærens. Placuitque sic eam tabulam posteris tradi, omnium quidem, sed artificum præcipuo miraculo. Consumptam eam priore incendio domûs Cæsaris in Palatio audio: spectatam olim tanto spatio nihil aliud continentem, quàm lineas visum effugientes, inter egregia multorum opera inani similem, et eo ipso allicientem, omnique opere nobiliorem.

Apelli fuit alioqui perpetua consuetudo, numquam tam occupatam diem agendi, ut non lineam ducendo exerceret artem: quod ab eo in proverbium venit. Idem perfecta opera proponebat in pergulâ transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens, vitia quæ notarentur auscultabat, vulgum diligentiorum judicem, quàm se præferens. Feruntque a sutore reprehensum, quòd in crepidis unâ pauciores intus fecisset ansas: eodem postero die, superbo emendatione pristinæ admonitionis, cavillante circa crus, indignatum prospexisse, denuntiantem, "ne supra crepidam judicaret," quod et ipsum in proverbium venit. Fuit enim et comitas illi, propter quam gratior Alexandro Magno erat, frequenter in officinam ventitanti: nam, ut diximus, ab

alio pingi se, vetuerat edicto. Sed et in officinâ imperitè multa disserenti silentium comiter suadebat, “rideri eum dicens a pueris qui colores tererent.” Tantùm erat auctoritati juris in regem, alioqui iracundum. —

Apelles et in æmulis benignus, Protogeni dignationem primus Rhodi constituit. Sordebat suis, ut plerumque domestica: percunctantique “quanti liceret opera effecta,” parvum nescio quid dixerat: at ille quinquagenis talentis poposcit: famamque dispersit, “se emere, ut pro suis venderet.” Ea res concitavit Rhodios ad intelligendum artificem: nec nisi augentibus pretium, cessit.

Imaginem adeò similitudinis indiscretæ pinxit, ut (incredibile dictu) Apion grammaticus scriptum reliquerit, quemdam ex facie hominum addivinantem (quos metoposcopos vocant) ex iis dixisse aut futuræ mortis annos aut preteritæ. Non fuerat ei gratia in comitatu Alexandri cum Ptolemæo: quo regnante, Alexandriam vi tempestatis expulsus, subornato fraude æmulorum plano regio, invitatus, ad cenam venit: indignantique Ptolemæo, et vocatores suos ostendenti, ut diceret a quo eorum invitatus esset, arrepto carbone extincto e foculo, imaginem in pariete delineavit, adgnoscente vultum plani rege, ex inchoato protinus. Pinxit et Antigoni regis imaginem altero lumine orbam, priùs excogitatâ ratione vitia condendi: obliquam namque fecit, ut quod corpori deerat, picturæ potiùs deesse videretur: tantùmque eam partem e facie ostendit, quam totam poterat ostendere. Sunt inter opera ejus et exspirantium imagines. Quæ autem nobilissima sint, non est facile dictu. —

Æqualis ejus fuit Aristides Thebanus. Is omnium primus animum pinxit, et sensus hominis expressit, quæ vocant Græci ethe: item perturbationes: durior paulo in coloribus. Hujus pictura est, oppido capto ad matris, morientis e vulnere, mammam adrepens infans: intelligiturque sentire mater et timere, ne emortuo lacte sanguinem lambat. Quam tabulam Alexander Magnus transtulerat Pellam in patriam suam.

Simul, ut dictum est, et Protogenes floruit. Patria ei Caunus, gentis Rhodiis subjectæ. Summa paupertas initio, artisque summa intentio, et ideo minor fertilitas. Quis eum docuerit, non putant constare. ———

Palnam habet tabularum ejus Ialysus, qui est Romæ: dicatus in templo Pacis: quem cùm pingeret, traditur madidis lupinis vixisse, quoniam simul famem sustinerent et sitim, ne sensus nimiâ dulcedine obstrueret. Huic picturæ quater colorem induxit subsidia injuriæ et vetustatis, ut decedente superiore inferior succederet. Est in eâ canis mirè factus, ut quem pariter casus pinxerit. Non judicabat se exprimere in eo spumam anhelantis, cùm in reliquâ omni parte (quod difficillimum erat) sibi ipse satis fecisset. Displicebat autem ars ipsa, nec minui poterat, et videbatur nimia, ac longiùs a veritate discedere, spumaque illa pingi, non ex ore nasci: anxio animi cruciatu, cùm in picturâ verum esse, non verisimile vellet: absterserat sæpius, mutaveratque penicillum, nullo modo sibi adprobans. Postremò iratus arti, quòd intelligeretur, spongiam eam imegit invisio loco tabulæ, et illa reposuit ablatos colores, qualiter cura optaverat: fecitque in picturâ fortuna naturam. Hoc exemplo ejus, similis et Nealcem successus in spumâ equi, similiter spongiâ impactâ, secutus dicitur, cùm pingeret poppyzonta retinentem equum. Canem ita Protogenes monstravit, et fortuna. Propter hunc Ialysum, ne cremaret tabulas Demetrius rex, cum ab eâ parte solâ posset Rhodum capere, non incendit: parcentemque picturæ fugit occasio victoriæ. Erat tunc Protogenes in suburbano hortulo suo, hoc est, Demetrii castris. Neque interpellatus præliis inchoata opera intermisit omnino: nisi aditus a rege interrogatusque, "quâ fiduciâ extra muros ageret," respondit, "Scire se cum Rhodiis illi bellum esse, non cum artibus." Disposuit ergo rex in tutelam ejus stationes, gaudens quòd posset manus servare, quibus jam pepercerat: et ne sæpius avocaret, ultro ad eum venit hostis, relictisque victoriæ suæ votis, inter arma et murorum ictus spectavit artificem. Sequiturque tabulam illius temporis hæc fama, quòd eam Protogenes sub gladio pinxerit. ———

XXXVII. — Subtexi par est minoris picturæ celebres in penicillo, e quibus fuit Pyreicus, arte paucis postferendus: proposito, nescio an destruxerit se: quoniam humilia quidem secutus, humilitatis tamen summam adeptus est gloriam. Tonstrinas sutrinisque pinxit, et asellos, et obsonia, ac similia: ob hoc cognominatus Rhyparographos, in iis consummatae voluptatis. Quippe eæ pluris veniere, quàm maximæ multorum. —

XXXIX. Ceris pingere, ac picturam inurere qui primus excogitaverit, non constat. Quidam Aristidis inventum putant, postea consummatum a Praxitele. Sed aliquantò vetustiores encausticæ picturæ exstiterè, ut Polygnoti, et Nicanoris et Arcesilai Pariorum. Lysippus quoque Æginæ picturæ suæ inscripsit *ἐνκαυστην*, quod profectò non fecisset, nisi encaustica inventa. —

XLIII. 12. De picturâ satis superque: contexuisse his et plasticen conveniat. Ejusdem opere terræ fingere ex argillâ similitudines, Dibutades Sicyonius figurus primus invenit Corinthi, filiæ operâ: quæ capta amore juvenis, illo abeunte peregre, umbram ex facie ejus ad lucernam in pariete lineis circumscripsit: quibus pater ejus impressâ argillâ typum fecit, et cum ceteris fictilibus induratum igni proposuit: eumque servatum in Nymphæo, donec Corinthum Mummius everteret, tradunt. —

XLIV. Hominis autem imaginem gypso e facie ipsâ primus omnium expressit, cerâque in eam formam gypsi infusâ emendare instituit Lysistratus Sicyonius, frater Lysippi, de quo diximus. Hic et similitudinem reddere instituit: ante eum, quàm pulcherrimas facere studebant. Idem et de signis effigiem exprimere invenit. Crevitque res in tantum, ut nulla signa, statuæve, sine argillâ fierent. Quo adparet antiquiorem hanc fuisse scientiam, quàm fundendi æris.

XLV. Plastæ laudatissimi fuerè Damophilus et Gorgasus, iidemque pictores: qui Cereris ædem Romæ ad Circum maximum utroque genere artis suæ excoluerunt, versibus inscriptis Græcè, quibus significarunt, a dextrâ opera Damophili esse, ab lævâ Gorgasi. — Fecit et

Chalcothenes cruda opera Athenis, qui locus ab officinâ ejus Ceramicos appellatur. M. Varro tradit sibi cognitum Romæ Posim nomine, a quo facta poma et uvas, item pisces, quos aspectu discernere a veris vix posses. Idem magnificat Arcesilaum, Lucii Luculli familiarem cujus proplasmata pluris venire solita artificibus ipsis, quàm aliorum opera. ——— Laudat et Pasitelem, qui “plasticen matrem cælaturæ et statuariæ, sculpturæque” dixit: et cùm esset in omnibus his summus, nihil umquam fecit, antequam finxit. Præterea elaboratam hanc artem Italiæ, et maximè Etruriæ: adcitum a Fregellis, cui locaret Tarquinius Priscus effigiem Jovis in Capitolio dicendam. ———

XLVI. Durant etiam nunc plerisque in locis talia simulacra. Fastigia quidem templorum etiam in Urbe crebra, et municipiis, mirâ cælaturâ, et arte ævique firmitate sanctiora auro, certò innocentiora. In sacris quidem etiam inter has opes, hodie, non murrhinis crystallinisve, sed fictilibus prolibatur simpuviis. Inenarrabili terræ benignitate, si quis singula æstimet: etiam ut omittantur in frugum, vini, pomorum, herbarum, fructuum, medicamentorum, metallorum generibus, beneficia ejus, quæ adhuc diximus: vel adsiduitate satiant figlinarum opera, imbricibus, doliis ad vina excogitatis, ad aquas tubulis, ad balineas mammatis, ad tecta coctilibus laterculis frontatisque: ob quæ Numa rex septimum collegium figulorum instituit. Quin et defunctos sese multi fictilibus soliis condi maluere: sicut M. Varro, Pythagoreo modo in myrti et oleæ atque populi nigræ foliis. Major quoque pars hominum terrenis utitur vasis. Samia etiamnum in esculentis laudantur. ———

Atque ut luxu quoque aliqua contingat auctoritas figlinis, tripatinum, inquit Fenestella, appellabatur summa cenarum lautitia. Una erat murænarum, altera luporum, tertia myxonis piscis, inclinatis jam scilicet moribus, ut tamen eos præferre Græciæ etiam philosophis possimus. Siquidem in Aristotelis heredum auctione LXX. patinas venisse traditur. Nam nos cùm unam Æsopi tragædiarum histrionis in naturâ avium dicere-mus sestertiis centum stetisse, non dubito indignatos

legentes. At hercules, Vitellius in principatu suo cc. sestertiis condidit patinam, cui faciendæ fornax in campis exædificata erat: quoniam eò pervenit luxuria, ut etiam fictilia pluris constent, quàm murrhina. Propter hanc Mucianus altero consulatu suo, in conquisitione, exprobravit patinarum paludes Vitellii memoriæ. — Quid non excogitavit ars? fractis etiam testis utendo sic, ut firmiùs durent tuis calce additâ, quæ vocant Signina. Quo genere etiam pavimenta excogitavit.

XLVII. 13. Verùm et ipsius terræ sunt alia commenta. Quis enim satis miretur pessimam ejus partem, ideoque pulverem appellatum in Puteolanis collibus, opponi maris fluctibus: mersumque protinus fieri lapidem unum inexpugnabilem undis, et fortiolem quotidie, utique si Cumano misceatur cæmento? —

---



---

## LIBER XXXVI.

I. 1. Lapidum natura restat, hoc est, præcipua morum insania, etiam ut gemmæ cum succinis atque crystallinis, murrhinisque sileantur. Omnia namque, quæ usque ad hoc volumen tractavimus, hominum causâ genita videri possunt. Montes natura sibi fecerat ad quasdam compages telluris visceribus densandas, simul ad impetus fluminum domandos, fluctusque frangendos, ac minimè, quietas partes coercendas durissimâ sui materiâ. Cædimus hos, trahimusque nullâ aliâ, quàm deliciarum, causâ, quos transcendisse quoque mirum fuit. In portento propè majores habuere Alpes ab Annibale exsuperatas, et postea à Cimbris: nunc ipsæ cæduntur in mille genera marmorum: promontoria aperiuntur mari, et rerum natura agitur in planum. Evehimus ea, quæ separandis gentibus pro terminis constituta erant: navesque marmorum causâ fiunt, ac per fluctus, sævissimam rerum naturæ partem, huc illuc portantur juga, majore etiamnum veniâ, quàm cum ad frigidus potus vas petitur in nubila cæloque proximæ rupes cavantur, ut bibatur

glacie. Secum quisque cogitet, cùm pretia horum audiat, cùm vehi trahique moles videat, quàm sine his fuerit beatior vita: ad quàm multorum necessit necesse ista facere, veriùs pati mortales. Quos ob usus, quasve ad voluptates alias, nisi ut inter maculas lipidum jaceant? ceu verò non tenebris noctium dimidiæ parti vitæ cujusque gaudia hæc auferentibus. —

IV. 4. Marmore scalpendo primi omnium inclaruerunt Dipœnus et Scylis, geniti in Cretâ insulâ, etiamnum Medis imperantibus, priùsque quàm Cyrus in Persis regnare inciperet, hoc est, Olympiade circiter L. Ii Sicyonem se contulere, quæ diu fuit officinarum omnium metallorum patria. Deorum quorundam simulacra publicè locaverant Sicyonii, quæ priùs quàm absolverentur, artifices injuriam questi abierunt in Ætolos. Protinus Sicyonem fames invasit ac sterilitas mærorque dirus. Remedium petentibus, Apollo Pythius respondit, “ Si Dipœnus et Scylis deorum simulacra perfecissent.” Quod magnis mercedibus obsequisque impetratum est. Fuere autem simulacra ea Apollinis, Dianæ, Herculis, Minervæ, quod e cælo postea tactum est.

5. Cùm ii essent, jam fuerat in Chio insulâ Malas sculptor: dein filius ejus Micciades, ac deinde nepos Archermus, cujus filii Bupalus et Athenis clarissimi in eâ scientiâ fuere, Hipponactis poetæ ætate, quem certum est LX. Olympiade fuisse. Quòd si quis horum familiam ad proavum usque retro agat, inveniet artis ejus originem cùm Olympiadum origine cœpisse. Hipponacti notabilis fœditas vultûs erat: quamobrem imaginem ejus lasciviâ jocorum ii proposuere ridentium circulis. Quod Hipponax indignatus, amaritudinem carminum distrinxit in tantum, ut credatur aliquibus ad laqueum eos compulisse: quod falsum est. Complura enim in finitimis insulis simulacra postea fecere, sicut in Delo, quibus subjecerunt carmen “ Non vitibus tantum censeri Chium, sed et operibus Anthermi filiorum.” Ostendunt et Iasii Dianam manibus eorum factam. Et in ipsâ Chio narrata est operis eorum Dianæ facies in sublimi posita, cujus vultum intrantes

tristem, exeuntes hilaratum putant. Romæ signa eorum sunt in Palatinâ æde, Apollinis in fastigio, et in omnibus fere quæ divus Augustus fecit. Patris quoque eorum et Deli fuere opera, et in Lesbo insulâ. Dipœni quidem Ambracia, Argos, Cleonæ, operibus refertæ fuere. Omnes autem tantùm candido marmore usi sunt e Paro insulâ, quem lapidem cœpere lychniten appellare, quoniam ad lucernas in cuniculis cæderetur, ut auctor est Varro, multis postea candidioribus reperitis, nuper etiam in Lunensium lapicidinis. Sed in Pariorum mirabile proditur, glebâ lapidis unius cuneis dividendum solutâ imaginem Sileni exstitisse.

Non omittendum hanc artem tantò vetustiorum fuisse, quàm picturam, aut statuariam, quarum utraque cum Phidiâ cœpit, LXXXII. Olympiade, post annos circiter trecentos triginta duos. Et ipsum Phidiam tradunt scalpsisse marmora, Veneremque ejus esse Romæ in Octaviæ operibus eximiæ pulcritudinis. Alcamenem Atheniensem (quod certum est) docuit in primis nobilem, cujus sunt opera Athenis complura in ædibus sacris, præclaraque Venus extra muros, quæ appellatur Aphrodite ἐν Κήποις. Huic summam manum ipse Phidias imposuisse dicitur. Ejusdem discipulus fuit Agoracritus Parius, et ætate gratus. Itaque e suis operibus pleraque nomini ejus donasse fertur. Certavere autem inter se ambo discipuli Venere faciendâ. Vicitque Alcámenes non opere, sed civitatis suffragiis, contra peregrinum suo faventis. Quare Agoracritus eâ lege signum suum vendidisse traditur, "Ne Athenis esset, et appellasse Nemesin." Id positum est Rhamnunte pago Atticæ, quod M. Varro omnibus signis prætulit. Est et in Matris Magnæ delubro in eâdem civitate Agoracriti opus.

Phidiam clarissimum esse per omnes gentes, quæ Jovis Olympii famam intelligunt, nemo dubitat: sed ut meritò laudari sciant, etiam qui opera ejus non viderunt, proferemus argumenta parva, et ingenii tantùm. Neque ad hoc Jovis Olympii pulcritudine utemur, non Minervæ Athenis factæ amplitudine, cùm sit ea cubitorum viginti sex; ebore hæc et auro constat: sed



scuto ejus, in quo Amazonum prælium celavit, intumescente ambitu parmæ: ejusdem concavâ parte deorum et gigantum dimicationem: in soleis verò Lapitharum et Centaurorum: adeò momenta omnia capacia artis illi fuere. In basi autem quod cælatum est, Pandoras genesin appellavit: ibi dii sunt xx. numero nascentes, Victoriâ præcipuè mirabili. Periti mirantur et serpentem, ac sub ipsâ cuspide æream sphingem. Hæc sunt obiter dicta de artifice numquam satis laudato: simul ut noscatur illam magnificentiam æqualem fuisse et in parvis.

Praxitelis ætatem inter statuarios diximus, qui marmoris gloriâ superavit etiam semet. Opera ejus sunt Athenis in Ceramico: sed ante omnia, et non solùm Praxitelis, verùm et in toto orbe terrarum, Venus, quam ut viderent multi, navigaverunt Gnidum. Duas fecerat, simulque vendebat, alteram velatâ specie, quam ob id quidem prætulerunt, quorum conditio erat, Coi, cùm alteram etiam eodem pretio detulisset, severum id ac pudicum arbitrantes: rejectam Gnidii emerunt, immensâ differentiâ famæ. Voluit etiam postea a Gnidiiis mercari rex Nicomedes, totum æs civitatis alienum, quod erat ingens, dissoluturum se promittens. Omnia perpeti maluere, nec immerito: illo enim signo Praxiteles nobilitavit Gnidum. Ædicula ejus tota aperitur, ut conspici possit undique effigies deæ, favente ipsâ, ut creditur facto. Nec minor ex quacumque parte admiratio est. —

Praxitelis filius Cephissodorus et artis heres fuit. Cujus laudatum est Pergami symplegma, signum nobile, digitis corpori veriùs, quàm marmori impressis. —

Scopæ laus cum his certat. Is fecit Venerem, et Pothon, et Phaethontem, qui Samothrace sanctissimis cæremoniis coluntur. — Sed in maximâ dignatione delubro Cn. Domitii in circo Flaminio Neptunus ipse, et Thetis, atque Achilles, Nereides supra delphinos et cete et hippocampos sedentes. Item Tritones, chorusque Phorci, et pristis, ac multa alia marina, omnia ejusdem manûs, præclarum opus, etiam si totius vitæ fuisset. —

Scopas habuit æmulos eâdem ætate, Bryaxin, et Timotheum, et Leocharem, de quibus simul dicendum est, quoniam pariter cælavere, Mausolo Cariæ regulo, qui obiit Olympiadis centesimæ anno secundo. Opus id ut esset inter septem miracula, ii maximè artifices fecere. Patet ab austro et septemtrione sexagenos ternos pedes, brevius a frontibus, toto circuitu pedes quadringentos undecim, adtollitur in altitudinem viginti quinque cubitis : cingitur columnis triginta sex. Pteron vocavere. Ab oriente cælavit Scopas, a septemtrione Bryaxis, a meridie Timotheus, ab occasu Leochares. Priúsque quàm peragerent, regina Artemisia, quæ mariti memoriæ id opus exstrui jusserat, obiit. Non tamen recesserunt, nisi absoluto jam, id gloriæ ipsorum artisque monumentum judicantes : hodieque certant manus. Adcessit et quintus artifex. Namque supra pteron, pyramis altitudine inferiorem æquavit, viginti quatuor gradibus in metæ cacumen se contrahens. In summo est quadriga marmorea, quam fecit Pythis. Hæc adjecta centum quadraginta pedum altitudine totum opus includit. —

Nec multò plurium fama est, quorumdam claritati in operibus eximiis obstante numero artificum, quoniam nec unus occupat gloriam, nec plures pariter nuncupari possunt, sicut in Laocoonte, qui est in Titi imperatoris domo, opus omnibus et picturæ et statuariæ artis præponendum. Ex uno lapide eum et liberos draconumque mirabiles nexus de consilii sententiâ fecere summi artifices, Agesander et Polydorus et Athenodorus Rhodii. —

Sunt et in parvis marmoreis famam consecuti, Myrmecides, cujus quadrigam cum agitatore cooperuit alis musca; et Callicrates, cujus formicarum pedes atque alia membra pervidere non est.

IX. 6. — quisquis primùm invenit secare, luxuriamque dividere, importuni ingenii fuit. Arenâ hoc fit, et ferro videtur fieri, serrâ in prætenui lineâ premente arenas, versandoque, tractu ipso secante. —

XI. 7. Marmorum genera et colores non attinet dicere in tantâ notitiâ: nec facile est enumerare in

tantâ multitudine. Quoto cuique enim loco non suum marmor invenitur? Et tamen celeberrimi generis dicta sunt in ambitu terrarum cum gentibus suis. Non omnia tamen in lapicidinis gignuntur, sed multa et sub terrâ sparsa. Pretiosissimi quædam generis, sicuti Lacedæmonium viride, cunctisque hilarius. —

Rubet porphyrites in Ægypto: ex eo candidis intervenientibus punctis, Leptopsephos vocatur. Quantislibet molibus cædendis sufficiunt lapicidinæ. Statuas ex eo Claudio Cæsari procurator ejus in Urbem ex Ægypto advexit Vitrasius Pollio, non admodum probatâ novitate. Nemo certè postea imitatus est. Invenit eadem Ægyptus in Ethiopiâ, quem vocant basalten, ferrei coloris atque duritiæ. Unde et nomen ei dedit. Numquam hic major repertus est, quàm in templo Pacis ab imperatore Vespasiano Augusto dicatus: argumento Nili, XVI. liberis circà ludentibus, per quos totidem cubita summi incrementi augentis se amnis intelliguntur. Non absimilis illi narratur in Thebis delubro Serapis, ut putant, Memnonis statuæ dicatus: quem quotidiano Solis ortu contactum radiis crepare dicunt.

XII. Onychem etiam tum in Arabiæ montibus, nec usquam aliubi, nasci putavere nostri veteres: Sudines in Carmaniâ. Potoriis primùm vasis inde factis, dein pedibus lectorum sellisque: Nepos Cornelius tradit magno fuisse miraculo, cùm P. Lentulus Spinter amphoras ex eo Chiorum magnitudine cadorum ostendisset: post quinquennium deinde triginta duorum pedum longitudine columnas vidisse se. —

8. Hunc aliqui lapidem alabastriten vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optimè servare incorrupta dicitur. Idem exustus emplastris convenit. —

Circa Syenen verò Thebaidis Syenites, quem ante pyrrhopœcilon vocabant.

XIV. Trabes ex eo fecere reges quodam certamine, obeliscos vocantes, Solis numini sacratos. Radium ejus argumentum in effigie est, et ita significatur nomine Egyptio.

Primus omnium id instituit Mestres, qui in Solis urbe regnabat, somnio jussus. —

Is autem obeliscus, quem divus Augustus in Circo magno statuit, excisus est a rege Semneserteo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit, LXXXII. pedum, et dodrantis, præter basim ejusdem lapidis : is verò, qui est in Campo Martio, novem pedibus minor, a Sesostride. Inscripti ambo rerum naturæ interpretationem Ægyptiorum philosophiâ continent.

XV. 10. Ei, qui est in Campo, divus Augustus addidit mirabilem usum, ad deprehendendas Solis umbras, dierumque ac noctium ita magnitudines, strato lapide ad magnitudinem obelisci, cui par fieret umbra, brumæ confectæ die, sextâ horâ; paulatimque per regulas (quæ sunt ex ære inclusæ) singulis diebus decresceret, ac rursus augesceret : digna cognitu res et ingenio fecundo. —

XVI. 12. Dicantur obiter et pyramides in eâdem Ægypto, regum pecuniæ otiosa ac stulta ostentatio. Quippe cùm faciendi eas causa a plerisque tradatur, ne pecuniam successoribus aut æmulis insidiantibus præberent, aut ne plebs esset otiosa. Multa circa hoc vanitas illorum hominum fuit : vestigia complurium inchoatarum exstant. Una est in Arsinoite nomo, duæ in Memphite, non procul labyrintho, de quo et ipso dicemus. Totidem, ubi fuit Mœridis lacus, hoc est, fossa grandis. Sed Ægyptus inter mira ac memoranda narrat harum cacumina extrema, quæ eminere dicuntur. Reliquæ tres, quæ orbem terrarum implevere famâ, sanè conspicuæ undique adnavigantibus, sitæ sunt in parte Africæ, monte saxeo sterilique inter Memphim oppidum, et quod appellari diximus Delta, a Nilo minùs quatuor millia passuum, a Memphi VII. M.D. vico adposito, quem vocant Busirin, in quo sunt adsueti scandere illas.

XVII. Ante has est sphinx, vel magis narranda, quasi sylvestre numen adcolentium. Amasin regem putant in eâ conditum, et volunt invectam videri. Est autem saxo naturali elaborata, et lubrica. Capitis monstri ambitus per frontem centum duos pedes colli-

git, longitudo pedum CXLIII. est, altitudo a ventre ad summam apsidem in capite, LXII. ———

Inter omnes eos qui de iis scripserint non constat a quibus factæ sint, justissimo casu oblitteratis tantæ vanitatis auctoribus. ———

XXI. 14. Magnificentiæ vera admiratio exstat templum Ephesiæ Dianæ ducentis viginti annis factum a totâ Asiâ. In solo id palustri fecere, ne terræ motus sentiret, aut hiatus timeret. Rursus ne in lubrico atque instabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea subtravere carbonibus, dein velleribus lanæ. Universo templo longitudo est ccccxxv. pedum, latitudo ducentorum viginti, columnæ centum viginti septem a singulis regibus factæ LX. pedum altitudine: ex iis xxxvi. cælatæ, una a Scopâ. Operi præfuit Chersiphron architectus. Summa miracula, epistylia tantæ molis adtolli potuisse. Id consecutus est ille æronibus arenâ plenis, molli clivo super capita columnarum exaggerato, paulatim exinaniens imos, ut sensim opus in cubili sederet. Difficillimè hoc contigit in limine ipso quod foribus imponebat. Etenim ea maxima moles fuit: nec sedit in cubili, anxio artifice, mortis destinatione supremâ. Tradunt in eâ cogitatione fessum nocturno tempore in quiete vidisse præsentem deam, cui templum fiebat, hortantem ut viveret: se composuisse lapidem, atque ita postero die apparuit, et pondere ipso correctus videbatur. ———

XXV. 16. A marmoribus digredienti ad reliquorum lapidum insignes naturas, quis dubitet in primis magnetem occurrere? quid enim mirabilius? aut quâ in parte naturæ major improbitas? Dederat vocem saxi, ut diximus, respondentem homini, immo verò et obloquentem. Quid lapidis rigore pigrius? Ecce sensus manusque tribuit illi. Quid ferri durtiâ pugnacius? Sed cedit, et patitur mores: trahitur a magnete lapide, domitrixque illa rerum omnium materia ad inane nescio quid currit: atque ut propiùs venit, adsistit, tenetur, complexuque hæret. Sideritin ob id alio nomine appellant, quidam Heracleon. Magnes appellatus est ab inventore (ut auctor est Nicander) in Idâ repertus.

Namque et passim invenitur, ut in Hispaniâ quoque. Invenisse autem fertur, clavis crepidarum et baculi cuspidè hærentibus, cùm armenta pasceret. —

XXXI. — Amiantus alumini similis, nihil igni deperdit. —

XXXIV. Gagates lapis nomen habet loci et amnis Gagis Lyciæ. Aiunt et in Leucollâ expelli mari, atque intra XII. stadia colligi. Niger est, planus, pumicosus, non multùm a ligno differens, levis, fragilis: odore, si teratur, gravis. Fictilia ex eo inscripta non delentur. Cùm uritur, odorem sulphureum reddit. —

XXXVII. 20. Schistos et hæmatites cognationem habent. Hæmatites invenitur in metallis: ustus minii colorem imitatur: uritur, ut Phrygius, sed non restinguitur vino. Adulteratum schisto hæmatiten discernunt venæ rubentes, et friabilis natura. —

XLIV. In Siphno lapis est, qui cavatur, tornaturque in vasa coquendis cibis utilia, vel ad esculentorum usus: quod in Comensi Italiæ lapide viridi accidere scimus. Sed in Siphnio singulare, quod excalfactus oleo nigrescit, durescitque, naturâ mollissimus. Tanta qualitatum differentia est. Nam mollitiæ et trans Alpes præcipua sunt exempla. In Belgicâ provinciâ candidum lapidem serrâ, quâ lignum, faciliùsque etiam, secant, ad tegularum et imbricum vicem: vel si libeat ad quæ vocant pavonacea tegendi genera: et hi quidem sectiles sunt.

XLV. Specularis verò (quoniam et hic lapis nomen obtinet) faciliore multò naturâ finditur in quamlibet tenues crustas. — Invenitur et niger aliquando. Sed candido natura mira, cùm sit mollitia nota, perpetiendi Soles rigoresque. —

XLVII. Nunc ad operarios lapides transisse conveniat, primùmque cotes ferro acuendo. Multa earum genera: Creticæ diu maximam laudem habuere, oleo indigentes: inter aquarias Naxiæ laus maxima fuit: ex oleo et aquâ Ciliciæ.

XLVIII. E reliquâ multitudine lapidum, tophus ædificiis inutilis est mortalitate mollitiæ. — Alia mollitia circa Romam Fidenati, et Albano. In Liguriâ

quoque, Umbriâ et Venetiâ, albus lapis dentatâ serrâ secatur. Hi tractabiles in opere, laborem quoque tolerant, sub tecto dumtaxat. Aspergine et gelu pruinisque rumpuntur in testas: nec contra humores et auram maris robusti. Tiburtini ad reliqua, fortes, vapore dissiliunt. ———

XLIX. Nigri silices optimi: quibusdam in locis et rubentes. Nonnusquam verò et albi. ———

LIII. Calcem e vario lapide Cato censorius improbat. Ex albo melior. Quæ ex duro, structuræ utilior: quæ ex fistuloso, tectoriis. Ad utrumque damnatur ex silice. Utilior eadem ex effosso lapide, quàm ex ripis fluminum collecto. ——— Mirum, aliquid, postquam arserit, accendi aquis. ———

LIX. Cognata calci res gypsum est. Plura ejus genera. Nam et e lapide coquitur, ut in Syriâ ac Thuriis: et e terrâ foditur, ut in Cyprio, ac Perrhæbis: e summâ tellure et Tymphaicum est. Qui coquitur lapis non dissimilis alabastritæ esse debet, aut marmoroso. In Syriâ durissimos ad id eligunt, coquuntque fimo bubulo, ut celerius urantur. Omnium autem optimum fieri compertum est e lapide speculari, squamamve talem habente. Gypso madido statim utendum est, quoniam celerrimè coit: tamen rursus tundi et in farinam resolvi patitur. Usus gypsi in albariis, sigillis ædificiorum et coronis gratissimus. ———

LX. 25. Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte, picturæ ratione, donec lithostrota expulere eam. ———

LXIV. Lithostrota acceptavere jam sub Sullâ: parvulis certè crustis exstat hodieque, quod in Fortunæ delubro Præneste fecit. Pulsa deinde ex humo pavimenta in cameras transiere, e vitro: novitium et hoc inventum. Agrippa certè in Thermis, quas Romæ fecit, figlinum opus encausto pinxit: in reliquis albaria adornavit: non dubiè vitreas factururus cameras, si prius inventum id fuisset, aut a parietibus scenæ, ut diximus, Scauri, pervenisset in cameras. Quamobrem et vitri natura indicanda est.

LXV. 26. Pars est Syriæ, quæ Phœnice vocatur,

finitima Judææ, intra montis Carmeli radices paludem habens, quæ vocatur Cendevia. Ex eâ creditur nasci Belus annis, quinque m. passuum spatio in mare perfluens, juxta Ptolemaidem coloniam. Lentus hic currit, insalubri potu, sed cæremoniis sacer, limosus, vado profundus. Non nisi refuso mari arenas fatetur: fluctibus enim volutatae nitescunt, detritis sordibus. Tunc et marino creduntur adstringi morsu, non priùs utiles. Quingentorum est passuum non ampliùs litoris spatium, idque tantum multa per sæcula gignendo fuit vitro. Fama est, adpulsâ nave mercatorum nitri, cùm sparsi per litus epulas pararent, nec esset cortinis adtollendis lapidum occasio, glebas nitri e nave subdidisse. Quibus accensis permixtâ arenâ litoris, translucentes novi liquoris fluxisse rivos, et hanc fuisse originem vitri.

LXVI. Mox, ut est ingeniosa sollertia, non fuit contenta nitrum miscuisse: cœptus addi et magnes lapis: quoniam in se liquorem vitri quoque, ut ferrum, trahere creditur. Simili modo et calculi splendentes multifariam cœpti uri: deinde conchæ, et fossiles arenæ. Auctores sunt, in Indiâ e crystallo fractâ fieri, et ob id nullum comparari Indico. Levibus autem aridisque lignis coquitur, addito Cyprio, ac nitro, maximè Ophirio. Continuis fornacibus, ut æs, liquatur, massæque fiunt colore pingui nigricantes. Acies tanta est quacumque, ut citra ullum sensum ad ossa consecet, quidquid adflaverit corporis. Ex massis rursus funditur in officinis, tinguiturque. Et aliud flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo cælatur, Sidone quondam iis officinis nobili: siquidem etiam specula excogitaverat. Hæc fuit antiqua ratio vitri. Jam verò et in Vulturno, mari Italiæ, arena alba nascens, sex m. passuum litore, inter Cumas atque Liternum, quæ mollissima est, pilâ molâque teritur. Dein miscetur tribus partibus nitri pondere vel mensurâ, ac liquata in alias fornaces transfunditur. Ibi fit massa, quæ vocatur ammonitrum: atque hæc recoquitur, et fit vitrum purum, ac massa vitri candidi. Jam verò per Gallias Hispaniasque simili modo arenæ temperantur. Ferunt, Tiberio principe, excogitato vitri temperamento, ut flexibile esset;



totam officinam artificis ejus abolitam, ne æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur: eaque fama crebrior diu, quàm certior fuit. Sed quid refert? Neronis principatu repertâ vitri arte, quæ modicos calyces duos, quos appellabant pterotos, H-S. sex millibus venderet.

LXVII. In genere vitri et Obsidiana numerantur, ad similitudinem lapidis, quem in Æthiopiâ invenit Obsidius, nigerrimi coloris, aliquando et translucidi, crassiore visu, atque in speculis parietum pro imagine umbras reddente. Gemmas multi ex eo faciunt: vidimusque et solidas imagines. — Xenocrates Obsidianum lapidem in Indiâ et in Samnio Italiæ, et ad Oceanum in Hispaniâ nasci tradit. —

---



---

## LIBER XXXVII.

I. Ut nihil instituto operi desit, gemmæ supersunt, et in arctum coacta rerum naturæ majestas, multis nullâ sui parte mirabilior. Tantùm tribuunt varietati, coloribus, materiæ, decori, violari etiam signis gemmas nefas ducentes. Aliquas verò extra pretia ulla, taxationemque humanarum opum arbitantes, ut plerisque ad summam absolutamque rerum naturæ contemplationem satis sit una aliqua gemma. Quæ fuerit origo gemmarum, et quibus initiis in tantum admiratio hæc exarsit, diximus quadamtenus in mentione auri anulorumque. —

II. 1. His initiis cœpit auctoritas, in tantum amorem elata, ut Polycrati Samio, severo insularum ac litorum tyranno, felicitatis suæ, quam nimiam fatebatur etiam ipse, satis piamenti in unius gemmæ voluntario damno videretur, si cum fortunæ volubilitate paria faceret: planéque ab invidiâ ejus abundè se redimi putaret, si hoc unum doluisset. Adsiduo ergo gaudio lassus, profectus navigio in altum, anulum mersit. At illum piscis eximiâ magnitudine regi natus, escæ vice raptum, ut faceret ostentum, in culinam domini rursus Fortunæ

insidiantis manu reddidit. Sardonychem eam gemmam fuisse constat: ostenduntque Romæ, si credimus, in Concordiæ delubro, cornu aureo Augusti dono inclusam, et novissimum propè locum, tot prælatis, obtinentem.

III. Post hunc anulum regia fama est gemmæ Pyrrhi illius, qui adversùs Romanos bellum gessit. Namque habuisse traditur achaten, in quâ novem Musæ et Apollo citharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis redderentur insignia. —

V. Gemmas plures, quod peregrino appellant nomine dactyliotheam, primus omnium habuit Romæ privignus Sullæ Scaurus. Diuque nulla alia fuit, donec Pompeius Magnus eam quæ Mithridatis regis fuerat, inter dona in Capitolio dicaret. —

VIII. Oriens murrhina mittit. Inveniuntur enim ibi in pluribus locis, nec insignibus, maximè Parthici regni: præcipua tamen in Carmaniâ. Humorem putant sub terrâ calore densari. Amplitudine nusquam parvos excedunt abacos: crassitudine rarò, quantâ dictum est vasi potorio. Splendor his sine viribus, nitorque veriùs, quàm splendor. Sed in pretio varietas colorum subinde circumagentibus se maculis in purpuram candoremque, et tertium ex utroque, ignescente, veluti per transitum coloris, purpurâ, aut rubescente lacteo. Sunt qui maximè in iis laudent extremitates, et quosdam colorum repercussus, quales in cælesti arcu spectantur. His maculæ pingues placent: translucere quidquam, aut pallere, vitium est. Item sales, verrucæque non eminentes, sed ut in corpore etiam plerumque sessiles. Aliqua et in odore commendatio est.

IX. Contraria huic causa crystallum facit, gelu vehementiore concreto. Non aliubi certè reperitur, quàm ubi maximè hybernæ nives rigent: glaciemque esse certum est: unde et nomen Græci dedêre. — Quare sexangulis nascatur lateribus, non facilè ratio inveniri potest: eò magis quòd neque mucronis eadem species est, et ita absolutus est laterum lævor, ut nullâ id arte possit æquari. —

X. ——— Nero amissarum rerum nuntio accepto, duos calyces crystallinos in supremâ irâ fregit illisos. Hæc fuit ratio sæculum suum punientis, ne quis alius ex his biberet. Fragmenta sarciri nullo modo queunt. Mirè ad similitudinem adcessere vitrea, sed prodigii modo, ut suum pretium auxerint crystalli, non dimi-  
nerint.

XI. Proximum locum in deliciis, feminarum tamen adhuc tantùm, succina obtinent. ——— Phaethontis fulmine icti sorores fletu mutatas in arbores populos, lacrimis electrum omnibus annis fundere juxta Èridanum amnem, quem Padum vocamus: et electrum appellatum, quoniam Sol vocitatus sit Elector, plurimi poetæ dixere. ———

3. Certum est gigni in insulis Septemtrionalis Oceani, et a Germanis appellari glessum: itaque et a nostris unam insularum ob id Glessariam appellatam. ——— Nascitur autem defluente medullâ pinei generis arboribus, ut gummi in cerasis, resinâ pinis. Erumpit humoris abundantia: densatur rigore vel tepore autumnali. Cùm intumescens æstus rapuit ex insulis, certè in litora expellitur, ita volubile, ut pendere videatur, atque considerare in vado. Arboris succum esse prisci nostri credidere, ob id succinum appellantes. Pineæ autem arboris esse indicio est pineus in adtritu odor, et quòd accensum tedæ modo ac nidore flagret. ——— Liquidum primò destillare, argumento sunt quædam intus translucientia, ut formicæ, aut culices, lacertæque, quas adhæsisse musteo non est dubium, et inclusas indurescenti.

XII. Genera ejus plura. Candida odoris præstantissimi. Sed nec his, nec cereis pretium. Fulvis major auctoritas. Ex iis etiamnum amplior translucetibus, præterquam si nimio ardore flagrent: imaginemque igneam inesse, non ignem, placet. Summa laus Falernis a vini colore dictis, molli fulgore perspicuis. Sunt et in quibus decocti mellis lenitas placeat. Verùm hoc quoque notum fieri oportet, quocumque libeat, tingui, hædorum sevo, et anchusæ radice: quippe etiam conchylio inficiuntur. Ceterùm adtritu digito-

rum acceptâ caloris animâ trahunt in se paleas ac folia arida, quæ levia sunt; ut magnes lapis, ferrum. Ramenta quoque succini oleo addita flagrant dilucidiùs diutiùsque, quàm lini medulla. Taxatio in deliciis tanta, ut hominis quamvis parva effigies, vivorum hominum vigentiumque pretia superet, prorsus ut castigatio una non sit satis. — Nero in ceteris vitæ suæ portentis, capillos quoque conjugis suæ Poppææ in hoc nomen adoptaverat, quodam etiam carmine succinos appellando. Et quoniam nullis vitiis desunt pretiosa nomina, ex eo tertius quidam hic colos cœpit expeti a matronis. —

XV. 4. Maximum in rebus humanis, non solùm inter gemmas pretium habet adamas, diu non nisi regibus, et iis admodum paucis, cognitus, auri modo in metallis repertus, perquam rarò. — Indicus, non in auro nascens, sed quadam crystalli cognatione. Siquidem et colore translucido non differt, et laterum sexangulo lævore turbinatus in mucronem: aut duabus contrariis partibus, ut si duo turbines latissimis suis partibus jungantur: magnitudine verò etiam avellanæ nuclei. Similis est huic quidem Arabicus, minor tantùm, similiter et nascens. — Quippe duritia inenarrabilis est, simulque ignium victrix natura, et numquam incalescens. Unde et nomen indomita vis Græcâ interpretatione accepit. — Et cùm feliciter rumpere contigit, in tam parvas frangitur crustas, ut cerni vix possint. Expetuntur a scalptoribus, ferroque includuntur, nullam non duritiam ex facili cavantes. —

5. Tertia auctoritas smaragdis perhibetur, pluribus de causis. Nullius coloris aspectus jucundior est. Nam herbas quoque virentes frondesque avidè spectamus: smaragdos verò tantò libentiùs, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret. Præterea soli gemmarum contuitu oculos implent, nec satiant. Quin et ab intentione aliâ obscurata, aspectu smaragdi recreatur acies. Scalpentibusque gemmas non alia gratior oculorum refectio est: ita viridi lenitate lassitudinem mulcent. — Nero princeps gladiatorum pugnas spectabat smaragdo. —

XX. Eandem multis naturam aut certè similem habere berylli videntur. India eos gignit rarò alibi repertos. Poliuntur omnes sexangulâ figurâ artificum ingeniis, quoniam hebescunt, ni color surdus repercussu angulorum excitetur. Aliter enim politi non habent fulgorem eundem. Probatissimi sunt ex iis qui viriditatem puri maris imitantur. Proximi, qui vocantur chrysoberylli, et sunt paulo pallidiores, sed in aureum colorem exeunte fulgore. Vicinum genus huic est pallidius, et a quibusdam proprii generis existimatur, vocaturque chrysoprasus. Quarto loco numerantur hyacinthizontes. Quinto, quos aeroides vocant. Post eos autem cerini: ac deinde oleagini, hoc est, colore olei. Postremi crystallis fere similes. ———

XXI. Plurimum ab iis differunt opali, smaragdis tamen cedentes. India sola et horum est mater. Atque in pretiosissimarum gemmarum gloriâ compositi, maximè inenarrabilem difficultatem dederunt. Est enim in iis carbunculi tenuior ignis, est amethysti fulgens purpura, est smaragdi virens mare, et cuncta pariter incredibilem mixturâ lucentia. Alii summo fulgoris augmento colores pigmentorum æquavere: alii sulphuris ardentem flammam, aut etiam ignis oleo accensi. Magnitudo nucem avellanam æquat, insigni apud nos historiâ. Siquidem exstat hodieque hujus generis gemma, propter quam ab Antonio proscriptus Nonius senator. ——— Fugiens, hunc e fortunis suis omnibus anulum abstulit secum, quem certum est sestertiâ viginti millibus æstimatum. Sed mira Antonii feritas atque luxuria, propter gemmam proscibentis: nec minor Nonii contumacia, proscriptionem suam amantis, cùm etiam feræ abrosas partes corporis relinquunt, propter quas se periclitari sciant. ———

XXIII. ——— Sardonyches olim, ut ex nomine ipso apparet, intelligebantur candore in sardâ, hoc est, velut carnibus ungue hominis imposito, et utroque translucido. ———

XXIV. Exponenda est et onychis ipsius natura, propter nominis societatem: hoc in gemmam transiit, a lapide Carmaniæ. ——— Veram autem onychem

plurimas variasque cum lacteis zonis habere venas, omnium in transitu colore inenarrabili, et in unum redeunte concentum suavitate gratâ. ———

XXV. 7. Principatum habent carbunculi, a similitudine ignium appellati, cum ipsi non sentiant ignes, ob id a quibusdam acausti vocati. ———

XXVI. Nec est aliud difficilius, quàm discernere hæc genera: tanta est in eis occasio artis, subditis per quæ translucere cogantur. ——— Adulterantur vitro simillimè, sed cote deprehenduntur, sicut aliæ gemmæ factitiæ: mollior enim materia, et fragilis. ———

XXXII. 8. Egregia etiam nunc topazio gloria est suo virenti genere, et cum reperta est, prælatæ omnibus. ———

XXXVI. Non translucet molochites, spissiùs virens, et crassiùs quàm smaragdus a colore malvæ nomine accepto, reddendis laudata signis. ———

XXXVIII. Reddetur et per se cyanos, adcommodatâ gratiâ paulo antè nominato colore cæruleo. ——— Inest ei aliquando et aureus pulvis, non qualis in sapphirinis.

XXXIX. In sapphiris enim aurum punctis collucet cæruleis. Sapphirorum, quæ cum purpurâ, optimæ apud Medos: nusquam tamen perlucidæ. Præterea inutiles sculpturæ, intervenientibus crystallinis centris. ———

XL. Alius ex hoc ordo purpureis dabitur, et ab illis descendentes. Principatum amethysti Indicæ tenent. ——— Causam nominis adferunt, quòd usque ad vini colorem non accedunt: priùs quàm enim degustent, in violam desinit fulgor. Aliqua si quidem in illis purpura, non ex toto in igneum, sed in vini colorem deficiens. Perlucent autem omnes violaceo colore, sculpturis faciles. ———

LXXVII. Et jam peractis omnibus naturæ operibus, discrimen quoddam rerum ipsarum atque terrarum facere conveniat. Ergo in toto orbe et quacumque cæli convexitas vergit, pulcherrima est omnium, rebusque meritò principatum naturæ obtinens, Italia, reatrix parensque mundi altera, viris, feminis, ducibus, militibus, servitiis, artium præstantiâ, ingeniorum claritatibus,

jam situ ac salubritate cæli atque temperie, accessu cunctarum gentium facili, litoribus portuosis, benigno ventorum adflatu, (etenim contingit procurrentis positio in partem utilissimam, et inter ortus occasusque mediam,) aquarum copiâ nemorum salubritate, montium articulis, ferorum animalium innocentia, soli fertilitate pabuli ubertate. Quidquid est, quo carere vita non debeat, nusquam est præstantius: fruges, vinum, olea, vellera, lina, vestes, juvenci. Ne equos quidem in trigariis præferri ullos vernaculis animadverto. Metallis auri, argenti, æris, ferri, quamdiu libuit exercere, nullis cessit: et iis nunc in se gravida pro omni dote varios succos, et frugum pomorumque sapes fundit. Ab eâ, exceptis Indiæ fabulosis, proximè quidem duxerim Hispaniam, quacumque ambitur mari.

NOTÆ  
PHILOLOGICÆ ET PHYSICÆ.

---

PAGE 1, line 1, *vita*.—i. e. matters which concern our daily and ordinary life.

— l. 4, *cum honoris præfatione*. With some prefatory excuse. Vide Cic. Ep. Fam. ix. 22.

— l. 5, *non trita*. Suggested, perhaps, by the following line of Lucretius,

“*Avia Pieridum peragro loca, nullius ante  
Trita solo.*”                      Lucret. i. 924.

— l. 11, *Εγκυκλοπαιδείας*. The circle of the sciences, or rather, instruction in a Circle. Hence our modern title for Dictionaries of Arts and Sciences.

P. 2, l. 4, *quodam volumine*. Not extant.

— l. 12, *thesauros, &c.* “Books ought to be treasuries and storehouses, not bare and simple writings.”

— l. 15, *triginta sex*. Not reckoning the first, which is a mere index.

— l. 19, *subcisivis*. In Cic. de Legg. i. 3, *succisivæ operæ*, things done at spare, or leisure, times.

— l. 21, *Dies*. “We devote the day to your (T. Vespasian’s) service.”

— l. 21, 22, *cum somno valitudinem computamus*. Quasi subducto calculo cum somno, tantum dormio quantum valetudini satis est. H.

— l. 23, *musinamur*. Verbum à Musis deductum; commentamur lentè, otiosè scribimus.—M. T. Cicero autem *muginari* utitur. *Dum tu muginaris* (nugaris). Ep. ad Att. xvi. 12. H.

— l. 26. Tu præstas ut multa promittam, quod ad te (*Imperatorem*) scribo. H.

— l. 27. Eleganter dictum: id nos Gallicè diceremus. *Ce n’est pas par presumption, mais c’est un titre de recommandation*. Br. *Indicatura* here a substantive.



P. 2, l. 30, *stomachi*. Candoris, ingenuique animi. H.

— l. 6, b., *deprehendisse a juratissimis*. “I have detected in the most approved and latest authors, old ones copied to the very word” (*juratissimus amicus*, a sworn friend).

— l. 5, b., *Virgilianâ virtute*. “Who borrowed (from Theocritus, Hesiod, and Homer,) so as to contend with and improve upon them.”

P. 3, l. 1, *obnoxii*. Conscious of guilt.

— l. 4. We get credit for a capital by having paid for it the interest (of acknowledgment). *I frutti passano in capitale*.—FACIOLATI.

— l. 8, *pendenti*. Implying that the work is still in hands, unfinished. Thus Virgil, *Pendent opera interrupta*: and we use *pendency* for *suspence*, and *pending* for *remaining* yet undecided.

— l. 26, *cælum*. Alii tamen *παρα του κοιλου*, à concavitate, *cælum* dici rectius scribi putant. H.

— l. 4, b., *animalium effigies*. Hence it is called the Zodiac, *εκ των Ζωνων*.

P. 4, l. 3, *consertum*. Mixed up with.

— l. 5-10, *ita mutuo—circuitu*. Pliny seems here to have some glimpse of a doctrine of repulsion, which some moderns have adopted in connection with, others in opposition to, that of attraction.

— l. 11, 12, *cardine*. The hinge or pivot on which the universe turns. Pliny seems to follow the system (afterwards called the Ptolemaic) which supposes the earth in the centre.

— l. 12, *librantem*. Sub. *ea*; “balancing those things in the midst of which it hangs?” Ovid Met. i. 13. *Ponderibus librata suis*.

— l. 17, *nulla minùs illis*. See a beautiful passage expressive of the same sentiment in Cic. de Nat. Deorum. l. ii.

— l. 22, *numen, &c.* The worship of the heavenly bodies was the first, perhaps the least unnatural, species of idolatry. See Job xxxi. 26.

— l. 28, *fenerat*. Lends on interest; finely expressing the proportion between communicated and reflected light—the little returned for the much lent.

— l. 30, l. Γ. 277. Imitated by Virg. *Æn.* iv. 606.

— l. 33, *tricesimo*. Saturn’s exact period is 29 years, 161 days.

— l. 36, *mundo*. The universe, or world of fixed stars. *Lævum*. Supposing the face to be turned towards the south, the east is to the left, the west to the right: and the planets, while they appear (in consequence of the earth’s revolution round its axis) to be carried along with the fixed stars from east to west, change their position, with regard to them, each night from west to east.

P. 4, last line ; a curious way of accounting for the cross motion of the planets !

P. 5, l. 5, *duodenis*. Jupiter's exact period is 11 years, 315 days.

— l. 7, *binis*. Mars' exact period is 1 year, 322 days.

— l. 11, *redeat ad notas*. To the same point in the heavens.

— l. 13, *quinto*. The day is intercalated once in *four* years; but in such computations the *two* extremes are reckoned : so our Saviour is said to have risen on the *third* day, though only *one* full day intervened.

— l. 15, *alternis*. Sometimes rising before, sometimes setting after, the Sun.

— l. 27, *trecentis*. The true time is 224 days, 16 hours, 41½ min.

— l. 28, *absistens*. Greatest elongation.

— l. 29, *partibus*. Degrees of a circle. Its elongation varies from 36° to 47° 48' owing to the elliptic form of its orbit.

— l. 33, *novem*. The true time is 87 days, 23 hours, 15½ min.

— l. 6, b., *viginti tribus*. Varies from 18° to 28° 20' as before Venus.

— l. 4, b., *horum sid.*—viz. Venus and Mercury, the inferior planets; *suprà dictis*, Mars, Jupiter, and Saturn, the superior. It is surprising that this observation did not sooner lead to the true, or Copernican, system.

P. 6, l. 10, *laborare*. "It is believed that she is at rest from her labours?"

— l. 11-12, *ne uno modo*. This arises from its not moving in the ecliptic, but its orbit forming an angle with it of 5 degrees 18 minutes. See Bruce's Use of the Globes.

— l. 16, 17, *lucem in hac luce*. A conceit indicative of decline in purity of stile.

— l. 24, *tricesimâ*. The exact period between one new moon and the next is 29 days, 12 hours, 44 minutes, 3 seconds. The period of her arrival at the same point in the heavens is only 27 days, 7 hours, 48 minutes, 5 seconds. See this explained in Jevons' El. Astr. p. 82.

— l. 26, *magistra*. Because from her we have learned most of what we know of the sun and planets—viz. the circumstances which follow.

— l. 28, *ad principia*. To the point in the heavens from which the sun appeared to set out at the beginning of the year. This is not accurate, 12 lunations making only 354 days, whereas the sun does not return to the same point till 365 days, 6 hours, nearly.

— l. 32, *augere*. A mistake of concomitancy for cause: the dews which fall from the absence of the sun being here attributed to the moon's influence.

P. 7, l. 7, *metæ*. Any thing in a conical form.

— l. 11, *volucrum*. Whose shadows are obliterated by lateral light. But this assumption does not account for the conical shape of the earth's or moon's shadow.

— l. 18, *clxx*. The fourth of the 48th Olympiad answers to 169, U. C.; 584, B. C. The total eclipse referred to (Herod. i., 74,) was on the 28th May of that year.

— l. 20, *menses gentium, &c.*—*i. e.* he first published an Ephemeris, or Almanack, by which people might know beforehand the new and full moons, &c.

— l. 28, *mortalitate*. Mortals,—*i. e.* mankind. *Crepitu, &c.*—Juvenal Sat. vi. 441.

— l. 10, b., *Macti ingenio*. Ovid Fast. i.

— line 7, b., *ccxxiii*. Not quite accurate.

— l. 4, b., *citrà*. Not in the same part of the heavens, but on this side; *i. e.* more westerly than, the preceding one.

— l. 2, b., *sub terrâ*. Visible to the inhabitants of a different part of the world.

P. 8, l. 8, *nunc ab occasûs, &c.* Are the eclipses of the sun and moon here confounded? Those of the sun must always begin on the western side; those of the moon from the eastern.

— l. 11, *utroque*. This phænomenon would be the consequence of the refractive power of the atmosphere, in horizontal eclipses.

— l. 18, *novam stellam*. A new star appeared in November, 1572, in the constellation Cassiopeia, and ceased to be visible in May, 1574. Br.

— l. 22. Catalogues of stars.

— l. 28. If any could have been found to enter upon it as lawful heir. Vide Cic. ad Att. xiii. 45.

— l. 30, *faces*. Falling stars, meteors?

— l. 36, 37, *priore, &c.* A friend suggests that *Faces* may be descending comets, and *Bolides* ascending; as their luminous elongations are always most distant from the sun. But I think they are both meteors.

— l. 2, b., *plures soles*. Parhelia, and (xxxii. 32) Paraselenæ. See the Encyclopædias under these words.


P. 9, l. 24, *Homerus*. Odys. E. 295.

— ch. XLVI. 47, *Venti*. The annexed cut exhibits the names (Greek and Latin) and points of the winds, as far they can be ascertained from Pliny's account. It may be curious to compare it with the table in Rees' Cyclopædia. Art. *Wind*.

In Stuart's Antiquities of Athens, vol. i. chap. iii. pp. 14—25, is a detailed account, illustrated by nineteen plates, of the famous

octagon Tower of the Winds, on the sides of which the eight principal points are named, as follow :—

ΝΟΤΟΣ,	SOUTH.	ΒΟΡΕΑΣ,	NORTH.
ΕΥΡΟΣ,	S. E.	ΣΚΙΡΩΝ,	N. W.
ΑΠΗΛΙΩΤΗΣ,	EAST.	ΖΕΦΥΡΟΣ,	WEST.
ΚΑΙΚΙΑΣ,	N. E.	ΛΙΨ,	S. W.



P. 10, l. 10, *dolia exhauriuntur*. Lucretius, vi. 356, and Sen. Nat. Quest. ii. 31.

— l. 17, *lux sonitu velocior*. Light was ascertained by Dr. Bradley to be 8 minutes and 3 seconds in passing from the sun to the earth, or 95 millions of miles: sound travels at the rate of 1172 feet in a second, so that it would not reach us from the sun in less than 206½ years.

— l. 24, *Olympiadis*. For the origin of the Olympic games, see the Classical Dictionaries. They are reckoned from 776 B. C. each Olympiad containing four years, so that the 2d of the 78 Ol. would be 462 B. C.

— l. 25, *scientiâ*. Science could not enable him to foretel an event of the cause of which science is to this day ignorant.

— l. 13, b., *magnitudine vehis*. Big enough for a cart-load.

— l. 12, b., *comete*. More probably a meteor: by which the phænomenon of falling stones, or aërolites, as they are now commonly called, are preceded.

P. 10, l. 7, b., *decidere crebrò*. See the article *Falling Stones* in Rees' Cyclopædia, or *Meteorolite* in Encyclop. Britann.

— l. 3, b., *ob id deducta*. The name Potidæa being derived from ποτι (Doricè pro προς) and δαίωμα to be burnt; as the stone appeared to have been.

P. 11, l. 4. The true theory of the rainbow is most perfectly explained by Newton in his Optics, prop. 9. See also Scientific Dialogues, Vol. on Optics: and Library of Useful Knowledge.

— l. 7, *aliquando visum*. Lunar rainbows are sometimes, but less frequently, observed. See Rees' Cyclopædia.

— l. 12, b., *precamur irati grave*. The meaning, I suppose, is, that men do not invoke the earth in their curses and imprecations against those with whom they are angry. It is curious, however, that the earth is invoked both ways with regard to the dead committed to her. See Martial. v. 35. Sen. Hippolyta v. sc. ult. The epitaph on Sir J. Vanburgh (the architect of Blenheim) was an effusion not of anger but of wit;

Lie heavy on him, earth, for he  
Laid many a heavy load on thee.

P. 12, l. 14, *Et ut, &c.* All the editions point it thus; but it would be more perspicuous if a comma were placed after *terram*, and the clause after *et* included in a parenthesis.

— LXXXII—VI. We in this country are happily exempt from the calamities which are here so graphically described:—But it may be interesting to peruse the accounts of the earthquakes at Lima 1746, Lisbon 1755, Calabria 1783, &c. &c.

P. 13, l. 3, *motu*. q. motui?

— l. 8, b. The sylvan scene  
Migrates uplifted, and with all its soil  
Alighting in far distant fields, finds out  
A new possessor, and survives the change.

*Cowper's Task*, ii. 127, &c.

— l. 3, b., *Tib. Cæs. principatu*. See Tacitus's Annals, ii. 55.

P. 14, l. 3, Livy xxii., 12.

Beneath the fray  
An earthquake reel'd unheededly away.

*Childe Harold*, iv. 63.

— l. 9, *Italia*.—Compare Virgil's beautiful description of Italy, Georg. ii. 136, &c.

— l. 17, *cervice facies*. Rome is here represented as the face, Italy as the neck, of the empire, considered as an entire figure.

P. 15, l. 1, *corrivatus*. "Not navigable till after it has been made up of several streams running together out of fish-pools; as also of the Tinia and Glanies which flow into it; thus lying as it

were brooding for nine days, if it be not helped on with rains. But the Tiber, on account of the rough and craggy country through which it runs, is not even thus navigable, unless for beams more properly than rafts," &c.

P. 15, l. 22, *religiosus*. "Presaging evils, rather than causing them?"

— l. 11, b., *ex raptō*. From what it has carried off from the higher grounds.

P. 16, l. 8, *incertis*. They seem to be still so. Bruce ascended only one, and that not the principal branch. Compare Brown's Travels in Darfūr.

— l. 15, *Iseo*. In templo Isidis. Cæsarea hodiè Tenez.

P. 17, l. 30, *utrumque, &c.* "The government keeps an accurate reckoning and account of both." See Bruce's account of the Nilometer still kept. Travels, vol. v. p. 363, &c. 8vo. ed.

— l. 2, b., *auras*. q. malaria? or, probably, only thick mists.

P. 18, l. 9, b., *Palmyra*. See Wood's Palmyra and Balbec.

P. 20, l. 10, *donec exspatianti, &c.* "Till the Mæotian lakes join their prey (*i. e.* the alluvial depositions which their rivers have brought down) to him (Pontus) spreading abroad."

— l. 11, *invitis terris*. The beneficial effect of these seas as a medium of communication is now obvious.

— l. 14, 15. *à βους et πορος (à πειρω transeo)*.

— l. 20, *Seres*. May there not here be some confusion between silk and cotton?

— l. 24, *ut matrona transluceat*. Quo ostendere potius corpora quam vestire. Solini Polyhistor. 80. Vide Senecam de Benef. 7, 9.

— l. 5, *multipartita*. The institution of castes is still prevalent in India.

— l. 17, *Taprobanen*. Ceylon: two excellent works on Ceylon have lately been published, by Cordiner and Percival.

— l. 23, *Palæogonos*. The highest mountain in Ceylon is still called Adam's Peak.

— last l. *hyberno*. Stormy.

P. 22, l. 4, *vectigal redemerat*.—Had farmed the taxes; *i. e.* was a publican.

— l. 5, *aquilonibus*. Not so much a North East wind, which would not have taken him from the Red Sea to Ceylon; but, in the plural number, any high wind; as Virgil, speaking of Æneas' voyage from Carthage to Italy, says, "*Ex mediis properas aquilonibus ire per altum*," (*Æn.* iv. 309) though really S. S. W.

— l. 7, *imbutus alloquio*. "Having learnt the language of the country."

P. 22, l. 15, *regiam*. "There was a harbour open to the south, adjoining the principal city of Palesimundam, and a royal residence, containing 200,000 people."

— l. 25, *jubas*. Branches and foliage.

— l. 10, 12, b. The Ceylonese, for the greater part of the year, see the sun to the North of them, and rising of course from the right hand. they would therefore be surprised with the opposite appearances in Italy.

P. 23. The whole of this account must be read with great allowance for the exaggeration of travellers.

P. 24, l. 5, b., *Diglito*. Apud Josephum Διγλαθ. Antiq. i. 2. hodie Daghelé.

P. 25, l. 13, *Charax*. Seems to be the Greek form of Kerek. Burckhardt's Syria, Introd. p. x.

— l. 25, *Dionysium*. His Περίηγησις, a geographical work in hexameter verse, is still extant.

P. 26, l. 4, *ciliciis*. Cloth made of goats' hair.

— See some excellent observations in reply to these misanthropic remarks, and also on Pliny's copyist, Buffon, in Popular Evidences of Natural and Revealed Religion, by the Rev. Thomas Watson, ch. x. An excellent work.

— l. 5, b., *flens*, &c. Copied by a modern poet.

"Man into bonds escapes from happiest birth,  
"Poor wailing being, born to rule the earth!"

*Benevolence, a Poem.*

— l. 4, b. Lucretius v. 233—235.

P. 27, l. 11, b., *tinctoria*. Bloody, cruel. The old editions have *in victoriâ*; which appears preferable, but is said not to be supported by MSS.

P. 28, l. 18, *Gabbaram*. Possibly Pliny may have mistaken the Hebrew or Arabic word *geber*, for the man's proper name.—In our own times Byrne, the Irish giant, and Count Borowlaski, the Polish dwarf, have been about the extremes of tall and little men.

— l. 21, *conditorio*. A museum?

— l. 27. Not Tully, the orator; but was it one of his family, which was equestrian?

— l. 29, *loculis*, "in cases". A reference to the Articles *Giant* and *Dwarf* in Encyclop. Britannica will shew how far short Pliny's statements are of well-authenticated cases in modern times.

P. 29, l. 5, *eximiis viribus*. Vide Desaguliers' account of Thos. Topham, Exp. Phil., vol. i. pp. 229, 290.

— l. 14, b., *corrigebat*. "Could straighten."

— l. 3, b., *Tiberium*. Dio Cass. iv.

P. 30, l. 3, 4, *Cicero. Idem.* Neither one nor the other is mentioned in any extant work of Cicero. The famous Frenchman, Huet, was at the pains of ascertaining the possibility of the first.

— l. 8, *Callicrates.* Of the exploits in this way of a French artist called Siries, see *Mariette des Pierres gravées*, tom. i. p. 424.

— l. 14, *Auditus.* q. by some telegraphic contrivance?

— l. 21, *in feminis.* This might have been made a general observation: it being agreed by medical men that women bear pain better than men.

— l. 4, b., *Ars, &c.* Grey's *Memoria Technica* is known to most scholars; and in Chronology has been found of great use: to Geography and Arithmetic it has not been found so applicable. The artificial methods of Feinagle and others appear to be tricks.

— l. 3, b., *melico.* "A writer of melodies."

